


IN VETERUM MONUMENTA NONNULLA COMMENTARIA

RAYMUNDI GUARINI.



NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICAE.



MDCCCXX.



AUCTOR LECTORI.

In Regiam Herculanensem Academiam allectum ea me una incessit cura, ut pro tanto honore, beneficioque grati animi significationem facerem qualemcumque, sed publicam tamen. Statim pro votis data occasio, officio illa quidem par, ingenio non item: Tabulae nempe aereae Oppidensis fragmentum, altera parte romano, lucano altera sermone exaratum, quod in regio splendidissimo Museo ab anno usque 1793 *asservatur. Ad illud igitur, qua restituendum, qua adornandum, pro viribus, animum adieci. Extat ibidem e Borgiano olim tralata Museo tabula item aenea alia, quae Volscentium putatur ore loqui, et quam*

primus omnium Lanzius, quoad scio, est commentatus. Visum est ergo et in hanc quoque symbolam aliquam conferre. Ad haec: inscriptiones duas paucis abhinc annis Pompeiis erutas, quod mihi non parum negotii facessere prae ceteris videbantur, quantum licuit per vires, explicandas suscepi. His te, lector, monitum, non me purgatum volo. Vale.

COMMENTARIUM I.

IN TABULAM AENEAM VELITERNORUM.

De viro clarissimo Lanzio orationem non semel in hoc nostro commentario qualicumque habituri, quas dudum tanto nomini laudum inferias viri eruditi tribuerunt, et ipsi lubentes cumulamus. Quae homini laus cum multis aliis de caussis solide constet, tum asserenda ei praecipue videtur ab Opere celebratissimo, cui titulus: *Saggio di lingua etrusca, e di altre antiche d' Italia*. Ex quo namque in lucem se dare vetera Etruscorum coepere monumenta, iam tum antiquitatis amatorum inflammatum studium est, ut in antiquissimas sese Italorum dialectos utcumque insinuarent. Nec in re notissima operae pretium fuerit commemorare, qualem ad id, quantamque symbolam contulerint Europae fere totius literatae Archaeologi summi, e nostris autem Gorius in primis, ac Maffeius. Sed rei susceptae moles tanta erat, quae non dicam profligari prima acie detrectabat, sed nec

satis commode cognosci propius sinebat. In vetustissimas quippe italorum dialectos inquirere propositum fuerat, Etruscorum praecipue, quae tantum ex hominum memoria nomine tenus non exciderant: Etruscorumque ad haec, quae de tenebris prodierant, vestigia, et pauca numero extabant, et vix sepulchralium titulorum fines praetergrediebantur. Nihil proinde ratum, exploratumque, non dicam de linguae ipsius syntaxi, saporo, meditullio, sed ne de characterum quidem numero, ac potestate. Atqui quaenam in demortuum, obsoletumque sermonem duci auspicato colonia queat, quem vel cupidissimo nec tuto legere datum ob eum, quem iam tetigimus, alphabeti defectum? plura quidem in spartam hanc adornandam Lanzius attulit, eaque non vulgaria; ut vetus Etruscorum alphabetum, etsi non adhuc numeris omnibus absolutum, longe tamen emendatius, pleniusque se doctis viris probarit, quam quod ante extitisse constabat. Sed multum adeo laboris, gloriaeque adhuc reliquam messem superesse reor iis, quibus post Lanzianos egregios conatus propositum fuerit in provinciam hanc latius, penitiusque invadendi, atque inquirendi.

Quamquam, ut indubia universa ac singula quoque essent, quae sub alphabeti nomine, tituloque pro etrusco idiomate iure poscerent viri docti, ut quidquid etruscum est, legere, atque efferre inoffenso liceret; non idcirco profligata continuo, expeditaque censenda reliqua omnia forent. Neque enim in Hebraico, Syriacove sermone expedita profecto illi omnia censeremus, qui utriusque ignarus, ea nihilominus quae alterutrius sunt, nostris exarata characteribus praesentissime legeret, et vero efferret etiam venustissime; nisi si tantumdem a gazis, psyttacisve praestari posse velimus. Uno verbo: frustra sumus in linguae unius, aut alterius syllabis, voculisque blaterandis, nisi quae cuique notio, ac vis sit tribuenda, ante sit constitutum. In demortuis vero, abolitisque idiomatis hoc opus, iste labor. Quo in itinere, ut a communibus ad propria descendat oratio, non unam eamdemque iniisse viam viros sine controversia doctissimos video.

Quidam, nulla rerum, temporumque facta distinctione, illico nos ad orientales plagas amandant, inde lucem petituros, qua in deperditarum patrum nostrorum linguarum tenebris

dispellendis rite utamur. Qui si nihil praeterea addent, quo iussionis suae modum aliquem praefiniant, pace ipsorum dixerim, non secus facere videri, quam qui familiae suae, aut alienae, agnatos avos, atavosque prolaturus, primum humani generis Adam parentem cieret. Alii ex adverso unis se Graecorum finibus concludunt, tuenturque, nec quidquam progredi ultra audent ipsi, aut audere ceteros volunt, quasi si hi extremi rerum limites, ut Herculis quondam columnae, sint fato constituti. Quod quid est aliud, quam graecanicae vanitati aequo diutius velificari? quod tamen factum a quibusdam, nostratibus praecipue, nemo ignorat. Verum ecquid iis faciemus, qui ad Celtas, et nescio quas gentes alias ad polum vergentes, longam, Iupiter! laboriosamque suscipere peregrinationem eadem de causa praecipiunt? Saltem in quibusdam anni temporibus tanto pepercissent labori! Ita quippe sua quemque trahit opinandi libido, et si in quam fortasse rimulam solis radium aliquem immeasse suspexerit, eo extemplo vim lucis omnem quanta ubique est confluxisse arbitratur.

Ego, partium quovis semoto studio, totam controversiam hanc sic paucis transigi sine invidia posse, crediderim. Cum inter eruditos fere conveniat, oras hasce nostras primos omnium orientales obtinuisse; si de vetustissimis italorum dialectis agatur, quae ad horum usque tempora protendi, aut abesse minimum, videantur; orientalium potissime linguarum insistendum vestigiis, quo in obsoletas, inauditasque priorum illarum voces aestimandas irrependi via, aut semita saltem pateat; hacque ratione in primis procedendum cum iis Etruscorum monumentis antiquissimis, quae a dextra ad laevam incedunt, orientalium de more. Ubi vero abs huiusmodi temporibus, quove gradu, deflexeris, primas quidem origines ab Oriente, sed sic tamen ducendas, ut a finitimis dialectis, in quas illae sensim sine sensu concessere, subsidium praecipuum sit accersendum. Polares regiones, cum et ab his quaedam in nostras consecutis deinde temporibus, sed aegre admodum, sint inducta, et a nostris vicissim in ipsas non pauca demigrarint; consulendas illas quidem, sed parce admodum, seroque, ac veluti in transcursu.

Verum alia hic incidit etiam quaestio: aequene, an gravior magis? certe non minus implexa: fortassis et ad rem, de qua quaeritur, praesentioris quoque utilitatis. Eam sic lubet concipere. Sonorum η ακουστικη adfinitas (cui etymologia in primis innititur) notam inter dialectum, ignotamque, duxne satis certa ad ignotae vim, sententiamque capessendam?

Nego, si de dialectis agatur, quae cum longe diversarum inter sese, dissitarumque gentium sint, tum non eiusdem censentur originis, quales germanica exempli causa, et romana habentur. Hinc τῷ germanorum *calde* (quod his *frigus* est) plane oppositam videas apud latinos inditam notionem. Quod si ad eas dialectos ex adverso trahatur oratio, quae et diu in una aliqua obtinuere regione, seu gente; et commune praeterea quidpiam inter sese praetendunt, sive agnatorum iure, quale parentes inter, natosque; sive cognatorum, quale inter sorores intercedere consuevit: longe aliter statuendum esse, arbitror, et iure, ut aiunt, optimo, hoc mihi concedendum arbitror. An non enim his de causis et Gallorum *chaud*, et Hispanicum *caliente*, et Italorum *caldo*, natarum iure abs romano

sibi modica cum varietate idiomate arrogata, in eamdem omnibus communem, matri videlicet, ac filiabus, vim, potestatemque usurpantur? An non idem cernere ad oculum est et in Oscorum *totico*, et in Latinorum *toto*, et in Italorum *tutto*, et in *toute* Gallico, et demum in Hispanico *todos*? Quod vulgo nostro est *vottare* in *impellendi* significationem, id sine dubio graecorum τῷ ωθειν acceptum referri debet: et quod eidem est vox *cafone* pro *homine rudi*, nonne απο του κακοφαγου graecanici υλικας depromptum? Atqui ego infinitus essem, si generis huius omnia et singula persequi velim, quae et eruditorum proletariis ceteroqui notissima sunt. Omnino quae apud gentem unam, regionemve ad plura secula perennavit, dialectus, huius vestigia nulla delebit dies; quae si quis sollerti investigatione, prudentique iudicio in vulgi praesertim vernaculo, contemptissimoque sermone fuerit persecutus, nae is in emortuis patrum suorum vocibus interpretandis supra ceteros, si modo cetera sint paria, eminebit. Viris idcirco Italiae totius prudentibus auctor fierem, uti vernaculas per otium, obsoletioresque antiquitatis voces, de rusticorum grege praecipue conquisitas, alphabe-

tico (ut aiunt) ordine, digerant, sua cuique, quae constat adhuc, notione apposita. Quod non levis momenti arbitror veterrimis nostratium monumentis interpretandis, non iis modo, quae doctorum iam diu manibus atteruntur, sed et his, quae supersunt adhuc, de suis olim latebris in lucem proditura.

Quae cum ita sint, neminem satis Lanzii consilio plausurum umquam arbitror; quo monemur, in abolitis, vetustissimisque patrum nostrorum linguis perscrutandis, osci, romani, graecanicique sermonis ante omnes rationem habendam. Nec moror, utrum Graecus his, aut hi potius Graeco anteverterint. Nam eruditis fere convenit de uno omnium veluti communi fundo, unde suas hi omnes hausere voces, earumque inter se *syntaxi*, quam vocant, sunt moderati, si ea excipias, quae dialecti cuiusque propria sunt ac nativa. Ad graecos autem quod attinet, quorum favere magis partibus in eo, quod in manibus est, negotio, Lanzium constat, ut praeteream, quod Theodorus Rykius contendit, Aeneam, ceterosque Phryges, cum primum Italiam appulere, nonnisi-graeco usos idiomate; certe ante bellum troianum Oenotrii, et post bel-

lum troianum Graecorum coloniae plurimae in oras italicas invasere. Ex quibus ecquis tandem non videat, quantum inde graecanici saporis ad primaevum indigenarum nostrorum sermonem accedere oportuerit, ex eoque ad graecum vicissim? Hinc factum procul dubio, ut quas a graecis fontibus grammatici quidam antiqui voces derivarint, easdem alii a Latinis arcesserent. Sic Varro L. Laelium reprehendit, quod *vocabulum graecum vetus, traductum in linguam romanam pro* MERACO, *et quasi a se primitus latine factum esset, resolvit in voces latinas ratione etymologica falsa*: idemque in vocibus aliis contra Laelium eumdem efficere conatur. Sed et in Varronem serram reciprocat Gellius (a), qui *furem* a *furvo*, idest *atro*, deducit, quam Varro a graeco φωρ repetendam existimat. Ut igitur eo redeat, quo divertit oratio tantisper, illud ex his omnibus emergere liquido videtur, ut in maiorum nostrorum deperditas scrutando dialectos, Oscae, Romanae, Graecae linguae rationem in primis habeamus, non tamen spreto aliunde, sive petito, sive sponte oblato subsidio, ab Oriente potissimum. Atqui ut consilio huic cetera deessent praesidia, vel illud unum apud ae-

quos rerum aestimatores obtineat, necesse est, quod qui tali via in monumentorum sacrarium, de quibus proposita quaestio est, pedem intulere, his longe felicius procedere visa res est, quam qui per alia diverticula eodem contenderunt.

Verum haec cum ita dicimus, non ita tamen accipi volumus, quasi omnia, et singula probare sit animus, quae vir laudatissimus Lanzius hoc ceteroqui verissimo praeiudicio imbutus lectori suo affert. Nam si de ipsa vetere latina lingua non dubitat Festus ingenue profiteri, *locutionem ejus adeo esse versam, ut vix ulla pars ejus maneat in notitia*: quanto id verius putandum post secula tot, tantasque seculorum vices de primigeniis illis omnibus Patrum nostrorum idiomatis, quae omnia in romanum (immane quantum a temporibus hisce nostris, dissito intervallo!) abierunt?

Sed bene habet. Nam et Lanzius ipsemet, quamquam de consilii sui ratione in universum certissimus, ubi ad singularia tamen ventum est, cautus, timidusque incedit; nec facile eum videas interpretamenta sua quasi ex tripode venditare. Suboluerat quippe viro prudentissimo,

haec omnia una fere, qua αναλογια, qua ετυμολογια, transigenda; quae nisi aliunde lux aliqua affulgeat, in alias, atque alias porro, planeque inter se oppositas oras, vel cautissimos, per immensos errorum tractus abstrahere queant. Cuius rei specimen aliquod lectori non iniucundum me afferre posse videor in Tabulae aeneae (seu Velitrarum, ut persuasum illi est, sive Veliensis, quae viri Clarissimi, nostrumque amantissimi Carellii, sententia est) interpretatione, quam vir summus delineavit magis, quam complevit Tom. II. Operis supra laudati P. III. pag. 616. De principiis nulla nobis cum Lanzio contentio est: eadem utrisque rata perseverant. De ratione potius, modoque quo haec eadem in re praesenti ad finem utrique propositum sint deflectenda, lis modica est; immo vero nec lis, nec bellum, nec velitatio simplex, sed foederis aequi fundamenta aequissima. Praestat ante omnia tabulam ipsam in medium afferre.

DEVE. DECLUNE. STATOM. SEPIS. ATAHVS. PIS. VELESTROM *
FAKA. ESARISTROM. SE. BIM. ASIF. VESCLIS. VINV. ARPATITV *
SEPIS. TOTICV. COVEHRIV. SEPV. FEROM. PIHOM. ESTV *
EC. SE. COSVTIES. MA. CA. TAFANIES. MEDIX. SISTIATIENS.

Non dubium Lanzio, *το Velestrom* ad Velitras referri oportere, splendidam Volscorum urbem, magnam, populosam, quibus eam nominibus Dionysius cumulat, Volscentiumque proinde hac in lamina latere *την διαλεκτον*. Ecce tibi nunc, quam laminae huiusmodi tribuit ille sententiam.

Decima Luna statum in actis Veliternorum.

Faciat esaristro sex bobus, frugibus, vino adipato.
Ad haec . . . . piatum esto.
Ec. Sexti. Fil. Cosutius. Marcus. C. Fil.
Tafanius Medix urbani.

Nempe priora illa duo *deve declune* pro *Luna decima* illi sunt, sive pro decimo mense, quo nomine designatum observat a romanis mensem Decembrem, qua tempestate anno lunari Italia utebatur universa. De voce *statom* nulla controversia, quin pro *statutum* sit intelligenda. Tabulam ipsam, adiecerim, totam de *sacris*

municipalibus esse hoc ipso, quod vernaculo sive Veliternorum, sive Veliensium sit sermone exarata. Quod sequitur, το SEPIS, ipsissimum graecorum επι esse arbitratur, eaque de causa reddendum putat pro eo quod Latinis est *in*, vel *secundum*. Omisso deinde monosyllabo PIS satis, ut reor, ponderoso, ATAHVS. VELESTROM interpretatur pro *actis Veliternorum*. FAKA pro *faciat*, nemine repugnante, usurpat. Verum το ESARISTROM Deum esse putat, quem ignorare se ingenue fatetur. Dubitat, utrum et pro *sacrum* quarti casus, vel tertii, stare queat. In prioris significationis subsidium profert et το AESAR, quod Etruscis *Deus* est, et τους ΑΙΣΟΥΣ, quos Tyrrheni *Deos* vocant. SE adverbium esse numerale pro *sex* arbitratur, duasque voces sequentes BIM. ASIF. in unam ferruminat, quasi si continenter diceretur βυασι, tertius, aut sextus casus plurativus eius, quod graecis est βους-*bos*. VESCLIS vertit pro *frugibus*, exemploque id confirmare studet Tabulae Eugubinae, in qua *fruges adoreas* sibi videre videtur ad illa verba: *vesclir. adrir*. De dictione VINV nullam moveri quaestionem sustinet, quin stet pro *vino*. Sed additum ARPATITV ex *arepe*, seu *arpe* derivat,

in eamque sententiam *adipati* vice fungi posse arbitratur.

SEPIS. TOTICO tertiae lineae accipit pro επι ταυτα, eaque de caussa vertit: *ad haec*, reclamante licet *totico*, quod manifestarium est, ei respondere, quod Latinis *magnum* est. Sed facere aliter non poterat, qui *sepis atahus* prioris lineae reddiderat iam: *in actis*. Aqua proinde haeret in his, quae pone sequuntur: *covehriu. sepu. ferom.* Quod in extrema eadem linea dicitur *pihom. estu*, idem interpretatur: *piato*, vel *piator*. De quarta, eademque postrema tabulae linea unum videtur observandum: το nempe *sistiatiens* Lanzio *urbanum* esse, originatione deducta a graeca voce ασυ, qua urbem denotari, omnes norunt. Atqui haec omnia vir doctus dubitanter, et sine ulla certa adfirmatione.

Verum proposita hactenus tabulae explanatio non una in re parum se nobis probabilem facit, quam tamen improbare, multo minus damnare, nec volumus, neque si maxime velimus, auderemus. Tantum in quaestione mere coniecturali, modo sine pervicacia, licere nobis putamus, coniecturas coniecturis trudere, quarum utrae

magis collineent, liberum lectori sine offensione iudicium permittimus.

Primum itaque duabus illis voculis *Deve declune* aliam subesse sententiam suspicor, quam quae iisdem a Lanzio tribuitur; cum pronius sit de Deo ipso, aut si mavelis, de Dea cogitare, cui sacra illa municipalia decernuntur. Horum namque nomina monumentis huiusmodi praefigi ante omnia consuevisse, nemo unus ignorat. Ita passim: *Herculi sacrum*; *Feroniae sacrum*; *Virgini Dianae sacrum*, et eiusmodi sexcenta tironibus non ignota. Ergo *Deve declune* redderem: *Deo Luno*, vel si placet: *Deae Lunae*. Tertius quippe casus singularis pro utroque sexu olim in E exire amabat, ut pro eo quod *Senatui* post dixere, dicerent *Senatue*. Nunc ad Luni numen quod attinet, haud meminisse pigebit, aerem ab antiquis conciliatam illi uxorem fuisse, ex quo beatissimo coniugio rorem suavissimum ortum fabulantur. De cultu vero siderum apud veteres Italiae accolas extat Platonis locus insignis in Cratylo, cuius haec sunt verba: φαινονται μοι οι πρωτοι των ανθρωπων των περι ελλαδα τουτους μονους θεους ηγεισθαι, ους περ νυν πολλοι των βαρβαρων, ʽηλιον, και σεληνην.

και γην, και αστρας. *Videntur mihi primi homines, qui Graeciam incoluere, eos tantum Deos putasse, quos nunc Barbarorum plerique Solem, Lunam, Tellurem, et Sidera.* Ex quo eodem Platonis loco colligit Lanzius ipse, communem olim siderum cultum priscis Italis exstitisse.

Nec minus a viro docto discedendum mihi licere puto in eo, quod *sepis atahus* reddit *in actis*, vel *secundum acta*. Longe mihi fit probabilius, το *sepis* vim nominis obtinere, cuius origo απο του σηβειν sit repetenda, ut *Sepis* sit tantumdem ac *Sacerdos*, seu *Pontifex*. Quo iacto fundamento, το *atahus* ei adpositum, tamquam διοριστικον, pro *atavo*, idest *seniore*, vel si lubet, pro *maximo* acciperem. Monosyllabum *Pis* nemo mihi eripiet, quin pro Civitate, vel Populo, stet, unde facile consecutis temporibus trifariam illam suam populi romani partitionem *Tribuum* nomine Romulus fortasse comprehendit. Alterutram certe significationem locus Tabulae non patitur dumtaxat, sed flagitare omnino videtur; eique in eamdem potestatem suffragatur luculentissime, saepissimeque Tabula Oppidensis, in qua vox ipsa recurrit, quam et

consule, si cupido est, in Tabulae eiusdem Lexico nostro.

Esaristrom, quod Lanzio *Dei* cujusdam, vel *sacri* nomen videtur, participium libentius existimarim *απο του εξαρτιζειν*, velut si *εξαρτισταν* diceretur. Est autem *εξαρτιζω praeparo*, *absolvo*, *perficio*. Quamobrem *το esaristrom* refero ad vocem *statom* prioris lineae, sententiamque in hunc modum completam elicio; sacrum *statum absolvendum sex vitulis*, si quidem Deo Luno immolari lubeat, vel *sex vitulabus*, si a Luna magis gratiam sit animus inire. Quandoquidem hostiarum sexum pro numinum quoque sexu aptare veteres in more habebant, in quam rem adeatur Lactantius (1), si vacat. Atqui hoc posito, quod protinus sequitur, *vesclis* adiectivi indolem induit ad *το βυασι*, vitulis nempe, seu vitulabus, retrahendi. Quid igitur *το vesclis?* Nullus huic Cereri locus, ut vox illa pro *frugibus* sit intelligenda, quod Lanzius facit. Suus quoque Cereri locus est hoc in sacro Lucanorum municipali, sed in altera ejus parte, quam Curioni maximo demandatam mox videbimus, si-

(1) Cont. Gent. Cap. 19. Lib. VII.

gnateque ad vocem *Fertom.* Quod nunc interest, *vesclis* nihilo plus valet, quam *ad vescendum optumis*, , sive *opimis*, et sacratiore etiam vocabulo *eximiis*, quemadmodum a Festo docemur ad hanc vocem (2). Iam *το vinu* pro *vinum* accepto, quod subiicitur, *arpatitu* tantum voce non clamat, imperandi modum esse, quasi si diceretur παρατιθετω a verbo παρατιθημι, quod est *appono.* Itaque *vinu arpatitu* reddo : *vinum adponito.* Atqui vide, quaeso, quam hic sacrorum ordo cum Homerica narratione consentiat (3).

Μηρουσ τ' εξεταμον, κατα τε κνισση εκαλυψαν.
Χαῖε δ' επισχιζην ο γερων, επι δ' αιθοπα οινον
Λαβε.

Femora dissecuerunt, et ad ipsa cumularunt.
Verubus deinde adolebat senex, nigrumque insuper vinum
Libabat.

Quibus semel statutum, *το sepis* Sacerdoti, seu Pontifici respondere, nihil facessit negotii tertia linea, cuius hic tenor est : *Sepis. toticu. covehriu. sepu. ferom. Pihom. estu.* Quae

(2) Ad voc. *Eximius.*
(3) Iliad. L. I. v. 460.

uno veluti spiritu sic reddo : *Sacerdos maximae Curiae immolato ferctum. Piatum esto.* Nempe *covehriu* gignendi casum autumo, cuius est *Covehrios*, idest *Curia*; et *sepu* merum imperativum απο του σηβειν, a quo σηβου, cujus vice in Tabula, mutata B in affinem P, est *sepu* απο του σηβομαι. Fortassis et *Pihom* απο του πιεειν derivari possit, quo in casu reddendum nihil ab sententiae eiusdem tenore decedendo : *factum esto*, quam dimissionis formulam, una atque adprecationis censeo.

De Curiarum Sacerdotibus audire ne pigeat Dionysium Halicarnassaeum in haec verba disserentem (1) : *Curiae cum Sacerdotibus sacrificia sibi attributa faciebant, et una epulabantur. Caenaculum*, εστιατοριον *enim erat extructum singulis Curiis : et praeterea consecrata erat quaedam* DOMUS COMMUNIS *omnibus Curiis*. Vides hic in *Curiis singulis* nostrarum Paroeciarum instar, quae sub una *Domo communi*, puta *Matrice Ecclesia*, sacrae veluti militiae stipendia faciunt. Ex quibus apparet manifeste, praeter *Caenacula* Curiae cuiusque propria, al-

(1) Lib. 11. Cap. 13.

terum extitissse omnium commune, in quo sacra municipalia sollemniora peragi mos erat quibusdam anni temporibus, qualia sine dubio Tabulae nostrae sacra censenda. In his igitur primae partes *Sacerdoti seniori*, sive *Pontifici maximo*, qui Tabulae nostrae est ipsissimus *sepis atahus*, sunt demandatae; qui caeteris omnibus sacerdotibus minoribus et dignitate, et potestate praeit: eique primum munus imponitur, ut par erat, victimarum maiorum cum vini libatione mactandarum. Secundae sacri eiusdem partes *Curioni* reservabantur, idest sacerdoti primae *Curiae*, cui τοτικου, nempe *magnae* nomen κατ εξοχην adhaerebat. Quaenam autem hae? Nullus hic sanguini locus: totae incruentae, placidaeque erant, quales Cererem decebant, qua *ferctom* constabat. Quid vero *ferctom* sit, ne gravetur, qui ignoret fortassis, a Festo discere (2): *Ferctum genius libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quae qui adferebant, struferctarii appellabantur.*

---

(2) Ad voc. *Ferctum.*

Superest quarta, eademque postrema tabulae linea, in qua assentior Lanzio, το *Cosuties*, et *Tafanies* nomina esse, et quidem terminata in *es*, magistratus duplicis (sive Veliternorum, sive Veliensium) supremi, ut patet ex addito *Medix*, de quo nihil hic opus ea repetere, quae huic voci admetiti sunt Vossius in primis, et Mazocchius. In sigla EC. Lanzius Accii praenomen latere posse, suspicatur Vol. III. pag. 250; quod si sit, erit *Accius*, *Sexti Filius*, *Cosutius*; deinde *Marcus*, *Caii Filius*, *Tafanius*. Verum quod vocem *sistiatiens* interpretatur *Urbanos*, id ei haud facile quis concesserit. Nam ut omittam, longe remotiorem videri illam, quam ut απο του ασυ repeti commode queat: eccui demum in mentem venerit magistratuum Vrbani, Peregrinique in Veliternorum, seu Veliensium urbe, quos vix Romae sero inductos novimus, laxatis admodum cum Imperio caussarum finibus? Pronius multo est, vocem hanc a verbo συνιςημι, quod est *decerno*, diducere, ut *sistiatiens* sit συνιςασι, vel si lubet, συνιςῶσι ab antiquo συνιςαω; quam ob rem in Tabula nostra formulae eius vice defungatur, quae apud Romanos usitatissima: D.D. *Decuriones decreverunt*; vel *Decreto Decurio-*

nem. Sic igitur totam hanc tabulam reddi posse, arbitramur :

Deo Luno statum. Pont. maximus Civitat. Veliternorum
Facito (1) *absolvendum sex tauris vitulis eximiis. Vinum libato.*
Sacerdos magnae Curiae praebeto ferctum. Piatum esto.
Ac. S. Fil. Cosutius. M. C. Fil. Tafanius, medix decrevere.

---

(1) Nempe τῷ FAKA (*facito*) subiicito notionem, qua usus ille, qui ait.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

COMMENTARIUM II.

IN VETUS MARMOR POMPEIANUM DE SACRIS PRINCIPIIS, QUAE APUD LAURENTES COLEBANTUR.

Eruditorum iam diu suspendit animos, salivamque civit marmor Pompeianum longiusculum, Iupiter! et laboriosum, quod in luminis auras prodire gestiit ad diem xiiiI. Kal. Februarii an. M.D.CCC.XVII. Est autem huiusmodi.

SP. TVRRANIVS. L. F.SP.N. L. PRON. FAB *
PROCVLVS. GELLIANVS *
PRAEF. FABR. IIPRAIF. CVRATORVM.
AL/EI *
TIBERIS. PRAIF. PRO. PR. I. D. IN. VRBE.
LA/INIO *
PATER. PATRATVS. POPVLI. LAVRENTIS.
FOEDERIS *
EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. PERCVTIENDI.
CVM. P. R *
SACRORVM. PRINCIPIORVM. P. R. QVI-
RIT. NOMINIS-*
QVE. LATINI. QVAI. APVD. LAVRENTIS.
COLVNTVR. FLAM *
DIALIS. FLAM. MARTIALIS. SALIVS. PRAI-
SVL. AVGVR. PONT *
PRAIF. COHORT. GAITVL. TR. MIL. LEG. X
LOC. D. D. D

Digamma aeolicum bis in marmore usurpatum, ad voces nempe *alvei*, et *Lavinii* tertiae lineae, et quartae, satis insinuat, intra Claudiana tempora concludi illud oportere. De Claudio namque Imperatore Tacitus refert (1): *quod tres literas adiecit, quae usui, imperitante eo, post obliteratae, aspiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiscitis per Fora, ac Templa fixo*; id quod Suetonius (2) multo etiam ante innuerat. Atqui ex his unam fuisse digamma nostrum, fidem facit disertissime Quintilianus, cuius meminit Priscianus in primo Grammatices. Caium equidem quemdam Turranium memorat idem Tacitus Praefectum annonae, qui cum Seio Strabone Praetoriarum Cohortium Praefecto, post Consules Sex. Pompeium, Sextumque Apuleium, primus in verba Tiberii Caesaris iuravit (3). Occurrit iterum rei frumentariae Praefectus Turranius, quem non alium arbitror a Caio mox laudato, quemque Tacitus (4) inter Claudii amicos potissimum nume-

(1) Annal. Lib. XI.

(2) In Claud. Cap. XLI.

(3) Annal. Lib. I.

(4) Ibid. Lib. XI.

rat, primumque refert, qui ab ipso Claudio de incestis Messalinae cum Silio nuptiis interrogaretur. Sed Caium hunc Turranium alium a Pompeiano extitisse, praeter Spurii praenomen, docet omissio Praefecturae rei frumentariae, ut videre est in nostro epigrammate. An vero, quove gradu, Pompeianum hunc nostrum attigerit Turranius ille rei frumentariae Praefectus, omnino incertum. Illud tamen certissimum, et Pompeianum Turranium Claudio percarum fuisse, quod inclamat honorum agmen, quibus per eadem tempora stipatus incedit.

Gelliani cognomen alterum Turranii ad Proculi cognomen additum Gellium fortasse quempiam innuit, qui adoptionis iure in Turranium nomen transierit, quamobrem ille dictus *Sp. Turranius* L. F. *Sp.* N. L. *Pron. Proculus.* Quod si sit, commendanda sane Turranii adoptantis filialis pietas, qui cum Lucii ipse praenomen gereret, Gellio suo Spurii magis, quam Lucii praenomen optavit, quo paternae magis, quam suimet ipsius consuluisse memoriae videretur.

Diphthongus eadem semel per *ae* exhibetur, sexies vero per *αρχαιοτερον ai*, ut videre legenti est; qui et illud, si lubet, adnotarit,

quas grammaticorum vulgus natura longas dicere vocales consuevit, easdem literis paullo, quam ceterae, prominentioribus exculptas idcirco, quod duplicis vim referant, qua de re plura nobis sunt alio loco dicta (1). Dyphthongus item *ai* voci *Gaitul* inserta germanam eiusdem την ορθογραφιαν confirmat, quam ei nuper astruere conatus est acerrimi vir iudicii Caietanus Marinius. Verum hae grammaticorum tricae merae. Penitiores nunc epigrammatis pertentandi aditus, quod in partes tres dispescere, ipsiusmet tenor non suadere tantum, sed et praecipere videtur; quarum prima lineas quatuor priores integras complectetur, quae sunt de muneribus Turranii urbanis: altera a quinta ad nonam usque continenter excurret, Turraniique sacerdotia multigena, et splendidissima sane, prosequetur: tertia demum tota erit de militaribus eiusdem muniis, honoribusque.

(1) Vid. Append. alle Ricerche sull' antica Città d' Eclano.

§. I.

De urbanis Turranii muneribus.

PRAEF. FABR. Fabrum ergo praefecturam gessit Turranius. Sed militarem, an urbanam? Utique urbanam. Tum quia si de militari ageretur, addenda Legio videbatur, ad quam ea referenda fuisset, uti apud Cl. Morcellium (1).

Q. FABIO. Q. F. ESQUILINA
CALATINO.
PRAEF. FABR. LEG VI. AVG.

tum quia militaria Turranii munera in postremam ellogiii partem omnia sunt reiecta. Fabrum porro urbanorum partes erant, quemadmodum e Plinio pronum est colligere (2), incendia arcere, et si quae excitata essent, compescere.

IIPRAIF. CVRAT. ALVEI. TIBERIS. Notas II. numerales sic voci *Praif.* sine interpunctione media continenter praefixas video. Absque

(1) De Stil p. 97.
(2) Lib. X, Ep. 32.

hoc esset, ut ad praefecturam fabrum eas referrem, ut nimirum iterato Turranius Fabrum praefectura fuisset condecoratus. Ergo, nisi dicam quis velit quadratario impingere, notae illae numerales ad Praefecturam Curatorum alvei Tiberis trahantur, ut hanc, non priorem illam, bis a Turranio gestam cogitemus. Sed ut fatear, quod sentio, interpretationis huius haud facile fundus extiterim, cui perspectum est, munerum vices, numerumque, queis quisque auctus, functusque est, muneribus ipsis adpingi, minime praefigi, veterum inscriptionum stilo, fere consuevisse.

Ceterum ad utramvis licet praefecturam notas illas traxeris, temporariam utramque, non perpetuam fuisse, constabit. Curatores demum hos, quibus sive bis, sive semel dumtaxat Turranius noster praefuit, primum ab Augusto institutos, narrat Suetonius (1) ad inundationes Tiberis aut praecavendas, aut coercendas, fluminis alveum, prout opus foret, qua laxando, qua repurgando. Adiecta denique muneri huic et Cloacarum cura.

---

(1) In Octav. Cap. XXXVII.

PRAIF. PRO. PR. I. D. IN. VRBE LAVINIO. Quae sic interpretor: *Praefectus*, *Propraefecto iure dicundo in urbe Lavinio*. Non enim commodior alius subesse mihi sensus videtur siglis illis PRO. PR; si quidem, quae sequuntur, I. D; de *iure dicundo* sint accipienda. Cumque, docente Livio (2), *Praefecti iuri dicundo* ii proprie dicerentur, *qui Roma mittebantur ad iura reddenda*, in manifesto est, Urbem Lavinium, in qua Turranius Praefecti, Propraefectique iure dicundo munere functus est, Praefecturis esse accensendam. Fuit itaque Turranius primo quidem Praefectus iure dicundo Roma Lavinium missus; expleto deinde Praefecturae legitimo tempore, Propraefecti partes ibidem egit, antequam a novo Praefecto exciperetur. Nec dubito, quin Turranius his iisdem Praefecturae, Propraefecturaeque meritis in Urbem Lavinium fuerit eodem ipso tempore, aut deinceps, renuntiatus *Pater patratus Populi Laurentis* in foedere percutiendo cum populo romano. Et ne cui fortasse ad arcendam ab Urbe Lavinio tristissimam Praefecturae conditionem in mentem

(2) Lib. XXVI. Cap. 16.

veniat, τὸ PRAIF. I. D. mitius interpretandi de uno aliquo sive IIvirum, quos aiunt, sive IIIIvirum I. D; is meminerit, voci *Praif.* nullam praefigi notam numeralem, qua ad alterutram trahi significationem fortasse queat. Stat igitur vox illa pro uno, strictique nominis Praefecto I. D. qui Roma ad Praefecturas mitti consueverat.

IN. VRBE. LAVINIO. Sed antequam alio dilabatur oratio, neve in via, quae superest, longiuscula hercle, et senticosa, deviare utcumque a fine per diverticula importuna contingat; quae ad urbem Lavinium pertinent, quaeque dicendis facem praecipuam sunt praelatura, ea hic omnia summatim convehere, animus est.

Urbem Lavinium inter proxima Urbi oppida ab Octavio potissimum frequentatam, scribit Suetonius (1). Fuisse ab Aenea conditam, Turno Rutulorum rege occiso, eique ab Lavinio, altera post Creusam uxore sua, Latinique Regis filia, inditum nomen, rerum romanarum Scriptores unanimi fere consensione tradiderunt. Quamvis autem Lavinium ab Urbe Laurente tum Plinius, cum Strabo non obscure

(1) In Octav. C. LXXII.

distinxerint; nonnulli tamen ex utraque unam confinxere, quos inter Servius, qui a Cluverio idcirco iure vapulat. De Laurente Virgilius diserte refert (1), a Pico primum eam conditam, arcibus deinde a Latino communitam eiusdem nepote, Latii caput extitisse, in eaque prima Aeneae inita foedera cum Latinis. Sed ut cetera deessent, rem conficit unus ille vatis divini versiculus, quo Turnus Aeneae manibus ereptus ita secum addubitans inducitur:

Laurentesne iterum muros, aut castra videbo (2)?

Turno igitur adhuc in vivis agente, adeoque longe ante Lavinii conditum, constabant muri Laurentes, Laurentiaque castra.

Sed fucum incautis fecisse, Cluverius opinatur (ut mirari Maffeius desinat, nondum vidisse se, *qui, quinam Laurentes Lavinates fuerint, exquirerent*), quod Lavinio consecutis temporibus Lauro Lavinii nomen adhaeserit. Verum id quidem. Sed falsum omnino, quod adiicit, Lavinii, Laurentisque urbes, extenua-

(1) Aeneid. VII. v. 59.
(2) L. X. v. 671.

ro civium numero, in unam coivisse (1), indeque factum Lauro-Lavinii nomen, uti recte observatum abs Holstenio est (2). Laurentem enimvero oppidum ad minus perseverasse ad Antonini usque tempora, evincit monumentum eidem Antonino positum sub his verbis: *Senatus, populusque Laurens* (3). Lauro-Lavinium autem adhuc perstabat Servii aetate, qui illud etiam ex Catone refert, Lauri eidem inhaesisse nomen, vel quod in agro Laurente ad Numici fontem esset situm, vel ab inventa ibidem lauro a Latino, cum Lavinium post Lavini fratris obitum amplificandum suscepisset (4). De Laurentibus item Lavinatibus duplex occurrit inscriptio apud Fabrettum (5), quibus addenda, quam Falerii repertam testatur vir Clariss. Morcellius (6). In ea memoratur *T. Cornasidius, Pater, et Augur, et Laurens*; deinde eiusdem Filius, *T. Cornasidius Clemens, equo pub. Laur. La-*

(1) Antiquit Ital. Lib. III. 3.
(2) In. Adnot. ad Ital. Cluver. p. 174.
(3) Fabret. p. 682. n. 67.
(4) Ad. Aeneid. Lib. I.
(5) p. 456. n. 16.
(6) De Stil. L. I. p. I. Cap. III.

vin; quibus in verbis Sacerdotium quoddam latitare Lauro-Lavinatium proprium, persuasum omnino est viro eruditissimo. Lavinii ad haec templa, ornamentaque erant, quae, ut Dionysius (1) autumat, ad Aeneam auctorem referebantur; et a Macrobio (2), itemque Servio discimus (3), in sacro Laviniensi a Consulibus faciendo Penatibus, Vestàeque sacrificari oportuisse.

Sed priusquam hinc abeo, aliud, quod ad rem nostram facere quam maxime videtur, de Lauro-Lavinio observandum se praebet ex Frontino, Siculoque (4), qui de agri huius assignatione tractantes formula utuntur plane singulari, vixque cum uno Marso Municipio communicata. Ea est huiusmodi: *Lauro-Lavinia. Lege, et consecratione vetere manet*; deque ipsa in Clavi nostra Frontiniana nuper abunde retulimus. Verum quoniam intactam, quod scio, hactenus novi, reique nostrae opportunissima videtur,

(1) L. I. p. 64.
(2) III. Sat. 4.
(3) ad. Aeneid. II. v. 296.
(4) pag. 105. 139.

placet eam paucis resumere, quibusdam auctarii loco admensis.

Quae igitur civitates olim a populo romano in munerum civilium societatem recipiebantur sub Municipiorum nomine, iis *suae leges*, *juraque sacra* sarta tecta relinquebantur. *Sacra* haec *Municipalia* dicebantur, deque iis sic luculenter Festus (1): *Municipalia sacra vocantur, quae ab initio habuerunt ante civitatem romanam acceptam, quae observare eos voluerunt Pontifices, et eo more facere, quo adsuessent antiquitus*. Ad id sacrorum genus referas, quae apud Gruterum (2) leguntur.

SILVAN. II. V. BIS. FLAM· SACR. PVBL. MVNICIPAL, hoc est: *Silvanus, Duumvir bis, Flamen, sacra publica*. Alia in eamdem sententiam volenti dabit Everardus Otho (3). Atqui Municipiorum huiusmodi, quae suis videlicet sacris, legibusque perstabant, post communicatam cum Italia fere tota romanam civitatem, sine dubio deminutus admodum est numerus.

---

(1) Verr. Flac. pag. CLXXX.
(2) pag. CCCCLXXIX. num. 6.
(3) De Colon. et Munic. C. I. §. III.

Quinque adeo graeci nominis recenset Tullius in Oratione pro Archia, Heracleense nimirum, Rheginum, Locrense, Neapolitanum, Tarentinum, *quae non modo post civitatem datam, sed etiam post Legem Papiam*, municipalem obtinuerunt dignitatem. De municipiis Italicis silet romanus orator, quod nil sibi cum his in eo, quod tunc erat in manibus. Fuerunt tamen et ex his non pauca, queis accensenda praecipae Lauro Lavinium, cui muncipii nomen in Fabrettiana inscriptione luculenter asseritur (2), et Marso Municipium ideo dictum, quod tale perseveravit, facta etiam agri assignatione. Quamobrem de utroque Frontinus data opera monet, *stetisse lege, et consecratione vetere*, ut ne cui novae adsignationis occasione suspicio ingereretur de amissa ab iisdem municipali dignitate, quod absque hoc pronum erat colligere. Puteolos item municipium fuisse, Tullii aetate, costat evidenter ex ipsius Orat. altera in Rullum, qua Puteolos *fatetur in sua potestate esse, suo iure, libertateque uti*. Verum, utrum talis

---

(2) Vaillant. Gent. Antist. n. 4.

(3) Pag. 710.

perseveraverit ad id temporis, de quo loquimur, nostra nunc minime refert. Sed vero admodum simile videtur, tale extitisse ad Vespasianum usque, ut pervidit vir acutissimus Peregrinius (1). Idipsum ut pro Gabiis praestarem, Latii urbe, vetustissima, suadebat numus Augustaeus Gentis Antistiae, cujus in parte postica haec videas exarata: *Foedus. Pop. Rom. Cum. Gabiis. Antist. Vetus. IIIvir.* Foedera quippe nisi inter eos, qui aequo inter se iure utantur, nec iniri legitime, nec constare ullo pacto queunt, quod ex Ciceronis loco paullo superius laudato modico negotio deducitur. Atqui dempta Gabiis municipali conditione, ecquid *aequi iuris* reliquum esse poterat, quo in foedus populi romani veniret, Augusto rerum Domino? Sic quidem ego olim de Gabiorum municipio. Sed nunc deliramenta mera apparent cogitanti, foedus illud numi Augustaei non ad Augusti ipsius tempora retrotrahendum, sed protrahendum potius ad vetustissima Urbis tempora, cum Romanos inter, Gabiosque foedus ictum, duce, atque auspice Antistio quodam *veteris* cog-

---

(1) Disc. II. della Campania. XXIX.

nomine idcirco insignito; famliaeque suae decus hoc perantiquum in numi parte postica referre, de more, Augustaeum IIIvir. Monetalem Antistium. Nam id potius lubet de numi hujus typo cogitare, quam Gentem Antistiam hujusce foederis beneficio Romam Gabiis commigrasse.

Sed Urbem tamen Laurentem municipium extitisse, et Claudiana etiam tempestate perstitisse talem, meliori alite ostensuros confidimus ex foedere *sacrorum principiorum* cum pop. rom. per haec tempora percusso. En igitur tria nominis italici sub Imperatoribus municipia suis utentia legibus, sacrisque, quibus Herculaneum, Pompeiosque Urbes dare socias minime veremur, vade Antistite Cl. nostrique benemerentissimo, Carolo Rosinio (1). In alia, si qua sunt, Italici nominis municipia, nec vacat inquirere, nec ad nos pro praesenti attinet.

(1) Dissert. Isagog. P. I. C. IX.

§. II.

DE TURRANII SACERDOTIIS.

PATER. PATRATVS. POPVLI. LAVRENTIS. Qui princeps erat Fecialium, ille Pater patratus dicebatur, cuius erat, cum in bellis indicendis, cum in iungendis foederibus, ritus quosdam, ceremoniasque sacras paragere, quae vulgo nota, et de quibus adeatur Livius (1).

De urbe Laurente minime confundenda cum Lavinio, seu Lauro Lavinio, satis supra. Laurenti autem maximus a romanis semper honor habitus. Laurentes agros, colonos, castra, muros divini Aeneidos Libri quaqua versum resonant. Famae origo ex eo, quod ibi Latinorum sedes pervetusta: verum nominis incrementum potissimum Aeneae in hanc Italiae oram appulsui debetur, una cum genitore Anchise, quocum hoc loco primum auspicatus est, ut refert Sex. Aurelius Victor (2); qui illud indidem ex Catone subiicit: Latinum regem, cum processisset arma-

---

(1) Lib. 1. Cap, IX. et XIII.

(2) De Orig. Gent. Rom.

tus in Aeneam, qui agrum Laurentem occupaverat, cognita adventus caussa, abstinuisse bello, amicitiamque foedere iniisse, dato invicem iureiurando, ut communes quoque sive hostes, sive amicos haberent. En prima Latinos inter, Troianamque gentem coalitionis iacta semina. Lavinii ab Laurentibus Tatio Sabinorum rege interfecto, regnante Romulo, renovatum foedus in haec verba memorat Livius (1): *inde foedus inter Romam, Laviniumque Urbes renovatum est.* Sed quae foederis huius leges, primaque veluti stata principia, quo demum Delio natatore assequemur? Immo vero tenebimus certissime, Musis, et Apolline dextro, nisi vanus nobis auctor existat divinus ille Maro, qui diligentissime iuxta, suavissimeque, suo de more, omnia prosequitur. Sic ille igitur Iunonem de Turni morte iam certam, de his ad Iovem loquentem inducit (2).

(1) Lib. I. Cap. VI.

(2) Aeneid. L. XI. v. 819.

Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro maiestate tuorum,
Cum iam connubiis pacem felicibus, esto,
Component; cum iam leges, et foedera iungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeas, Teucrosque vocari.
Sit Latium, sint Albani per saecula Reges,
Sit romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritque, sinas, cum nomine Troia.

Ad quam Iupiter subridens ait:

Do quod vis, et me victusque, volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt,
Utque est, nomen erit. Commixti corpore tantum
Subsident Teucri. Mores, ritusque sacrorum
Adiiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supraque Deos pietate videbis.

Foederis itaque summa, si Virgilium audiamus, eo redit, ut Troes abs Latinis recipiantur, in eamdemque gentem coeant ea conditione, ut Troiae, Troianoque nomine abolito, in Latii omnes et nomen, et linguam, et leges concedant, tantum additis sacris, Diisque Tro-

janis, Vesta nempe, Penatibusque, quod Cl. Heyne uberrime docet (1). Sic enim Aeneas ipse pollicetur (2).

Non ego nec Teucris Italos parere iubebo,
Nec mihi regna peto. Paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
SACRA. DEOSQVE. DABO.

Idemque profitetur se praestiturum sanctissime in foedere cum Turno ante postremum cum eo ineundum singulare certamen (3).

Atque hinc penitissima patet caussa, cur priscae Latinorum linguae nihil Phrygii immixtum videre sit, et quamobrem Troianorum sacra nonnulla vix demum in romanas religiones invaserint; quae duo invita omnino in aciem trahit Bochartus cum Iunone socia arma ferens ad Aeneam quo quo modo ab Italia arcendum (4). Illud rectius vir summus, quique cum eo fa-

(1) Excurs. IX. ad Aen. II.

(2) Aen. VI. v. 196.

(3) XII. v. 189.

(4) Vid. Heyne Disq. II. *de rer. in Aeneid. tract. invent. manud.*

cit, Cluverius, sibi sumpsissent: Aeneam, qui eo usque Latinorum se obsequentem praebuerat, modicis plane viribus in Laurentum immeasse sinus, ubi se, suosque consilii dexterite magis, ac indigenarum indulgentia, quam copiarum sive numero, sive praestantia, tuitus est. Addi ad haec poterat, Troianos Aboriginibus adhuc post iuncta foedera suspectos fuisse, ut mortuo Aenea, Lavinia, Ascanii metu, cum parvulo Silvio mater in silvas sese abdiderit, cui demum Silvio eidem, orta ipsum inter, Ascaniumque de regno contentione, popularium consensu regnum est adsertum.

Quis vero Bocharto aienti assentiatur, nihil Phrygii saporis, troicaeque originis ex Aeneae adventu in Latium immigrasse? Nam primum Reychius contendit (1), troicum idioma sola dialecto a graeco distare. Sed nihil opus est dubia conquirere, ubi certissima supersunt. De Aeneae in Italiam appulsu sic Dionys. Halicarnas. (2): *adventus sui multa eum reliquisse vestigia, cum alia, tum etiam phialam aere-*

---

(1) Dissert. *de prim. Ital. Colon.* Cap. I.
(2) Lib. LI.

am in Templo Iunonis (Laciniae) *literis antiquis nomen* AENEAE, *qui Deae donarat, declarantem*. Et Tullius in Verrem (1) asserit, persuasum semper Siculis fuisse, Segestam, pervetus oppidum, conditum ab Aenea fugiente, indeque eos cum populo romano non solum perpetua societate, atque amicitia, verum etiam cognatione, coniunctos se reputasse.

Atqui ut haec missa faceremus, nihilne troicae originis saperet *Troia*, *locus in agro Laurente*, ut Paulus tradit ex Festo, *quo primum in Italia Aeneas cum suis constitit?* Nihil Phrygii saporis prae se ferret *Troia*, puerorum lusus ille equester ab Ascanio, teste Virgilio (2) invectus, priscisque Latinis, Iulio, Augusto, Neroni in primis adhuc puerulo tantopere dilectus (3)? Nihilne troicum oleret Imperatorum romanorum prolixa illa, quam Suetonius admiratur (4), in Ilion, atque Ilienses voluntas? *De Iulio Caesare*, ille ait, *percre-*

---

(1) Orat. IX. Lib. IV.

(2) Aeneid. V. v. 596.

(3) Sueton. in Caes. Cap. XXXVI. in Octav. XLIII. in Neron. Cap. VII.

(4) In Iul. Cap. LXXIX.

buit fama, migraturum Alexandriam, vel Ilion, translatis simul opibus Imperii. Et Octavium paterno exemplo eadem volutantem sic per Iunonem deterret Horatius, ut vidit vir unus acutissime Faber:

. . . . . illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum;
Dum longus inter saeviat Ilion,
Romamque Pontus (1).

Et post alia in eamdem sententiam bene plura sic demum Iuno ipsa concludit:

Bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitae
Tecta velint reparare Troiae.
Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis, et sorore.

(1) Od. IV. Lib. III.

Nec cum Iulio, Augustoque hanc romanorum Imperatorum in Ilion extinctam voluntatem fuisse, probat Neronis apud Claudium graece habita oratio pro Iliensibus (1), et Claudii decretum, quo *Iliensibus quasi romanae gentis auctoribus, tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola graeca Senatus, populique romani, Seleuco regi amicitiam ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitisset.* Probat singulare pro Iliensibus abs Ulpiano relatum decretum, quo vel qui matre tantum esset Iliensi, *is municeps Iliensis haberetur*: in eamdemque rem facit procul dubio illa apud Gruterum de Iliensibus periocha (2): *Immunes Ilienses Iliponenses.*

FOEDERIS. EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. PERCVTIENDI. Librorum Sibyllinorum sub Tarquinio Superbo nota fabella, qui arca lapidea in Capitolino templo inclusi Sullanis temporibus arserunt. Conquisiti undique alii in deperdi-

(1) Sueton. in Neron. Cap. VII. et in Claud. Cap. XXV.

(2) pag. CCCLI. n. 5.

torum locum, asservatique ex Senatus consulto. Augustus quidquid fatidicorum librorum graeci, latinique generis, nullis, vel parum idoneis auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique concremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque, delectu habito, condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi (1). De libro quodam Sibyllino, quem Caninius Gallus Xvir recipi inter ceteros curaverat, gravis extat Tiberii in Caninium hac de re animadversio (2). Rem nostram nunc, his delibatis, propius aggrediamur.

Mos itaque romanorum antiquissimus abs Tarquinii usque temporibus repetendus, ut si reip. casus aliquis gravior urgeret, aut signum quod, ostentum, prodigium, portentumve vulgi animos perculisset, ad libros Sibullinos iretur. *Quoties*, inquit Tullius (3), *Senatus Xviros ad libros ire iussit? nam et cum duo Soles essent, et cum tres Lunae, et cum Sol nocte vi-*

---

(1) Sueton. in Oct. Cap. XXXI.

(2) Tacit. Annal. L. VI. Xiphilin. in Tiber. Lib. LVII.

(3) De Divin. L. 1. n. 97.

sus esset; *et cum ex coelo fremitus auditus*; *et cum coelum discessisse visum est*, *atque in eo animadversi globi*; ad libros nempe itum. Iam vero ex Claudii laudatione a Nerone recitata (1) discimus, *nihil*, *regente eo*, *reip. triste ab externis accidisse.* Additque, *ea* Neronis laudantis verba *pronis auribus audita*, quod a vero scilicet minime abluderent. Occasionem hinc eundi ad libros ex aliquo portento interno quaerere consentaneum videtur, quod populares animos, Claudio imperante, turbarit, in quam rem praestat Tacitum ipsum sic narrantem audire: *multa eo anno prodigia evenere. Insessum diris avibus Capitolium*; *crebris terraemotibus prorutas domos... Frugum quoque egestas*, *et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur.* Suspensis itaque vulgi animis expectationis metu, ad libros ire iussi Xviri; iam enim ante a Sullae aetate ad hunc numerum Xviri excreverant. Responsum: *foedus percutiendum Laurentibus cum Populo Romano sacrorum principiorum Pop. Romani*, *Quiritium*, *nominisque Latini*, *quae apud Laurentes co-*

---

(1) Tacit. Ann. Cap. XIII.

'untur. Haec videlicet periochae totius grammaıcalis sententia vix primis lineis adumbrata, quam nunc deformare per partes singulas, suisque veluti ornare coloribus, ex hactenus dictis haud ita difficile arbitramur.

FOEDERIS. PERCVTIENDI. Nemini in nentem venerit de belli periculo quovis Claudiana tempestate agitati, agitandive Romanos inter, Laurentesque cogitandi. Non humanum, aut ivile, sed sacrum omnino, religiosumque statuıt foedus istud PRINCIPIA illa SACRA, de uibus adposite nunc, accurateque disserendum.

SACRORVM. PRINCIPIORUM. Sacra Ceeris mysteria INITIA dixit Varro. *Initia* item Matris Cybeles, *tympanumque*, *tubamque* praeicat Catullus. Livius (1) item *Dies initiorum* voıbat, quos singulis mensibus *quinos* pro Bacchi ıcris fecit Romae Paculla Minia, Campana Sacerɔs. Et in eamdem significationem usurpatam vieas hanc vocem a Suida, et a Pausania frequentius *Boeoticis*, et *Phocicis*. Quorsum haec inquies? intelligatur, PRINCIPIA, *initiorum* synonima, ic pro mysteriis esse accipienda, praesertim si

---

(1) Decad. IV. L. IX.

ad τῶν sacrorum δυοϱισικον illud animus intendatur, cui *arcani* vim, significationemque quampiam inesse, ecquem latet? En Macrobii locus ex Verio Flacco (1) id apertissime docens: *Cum pop. romanus pestilentia laboraret, essetque responsum, id accidere, quod* DII. DESPICERENTVR; *anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum; evenisseque, ut Circensium die puer de Coenaculo pompam superne despiceret, et patri referret, quo ordine* SECRETA SACRORUM *in arca plastri vidisset. Qui cum rem gestam Senatui renuntiasset, placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur; atque ita peste sedata, puerum, qui antiquitatem sortis absolverat, togae praetextae usum, munus impetravisse.* Haec ille, quibus nihil confingi quidem deridiculum magis, ineptiusque poterat, sed quae nihilo minus luce meridiana clarius demonstrant, quod *sacrum*, idem *arcanum* semper habitum, et a vulgi oculis arcendum. Ex quo patet, qui *principia* pro rebus *arcanis* usurpare velit, eum absurditatis argui nullo pacto posse.

---

(1) Saturnal. Lib. 1.

Sed placet tamen τα PRINCIPIA nostri Epigrammatis strictius accipere, deque *Originibus* interpretari, ut *foedus sacrorum principiorum* valeat tantumdem, ac *foedus sacrarum Originum Populi rom. Quiritium, nominisque Latini.* Quandoquidem commune romanis cum gentibus fere universis, originem generis vetustate commendare, quae sive vera, seu ficta, quanto remotior, tanto impensius, non sine religionis sensu aliquo admixto, colebatur. *Reverere*, inquit ad rem Plinius (1), *gloriam veterem, et hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in Urbibus* SACRA est. Hinc alii Caeli, Telluris alii Filii passim nuncupati. Nec dubitandum, quin id generis figmentis primum verbo traditis, paullatim deinde scriptura consecratis, ea interseruerint etiam, quae ad urbium, gentisque fata pertinere quo quo modo rebantur. Rem testatur Tullius luculentissime in haec verba (2): *Veienti bello, cum lacus Albanus praeter modum crevisset, Veientem quemdam ad nos, hominem nobilem, profugisse, e-*

---

(1) Lib. VIII. Ep. 24. ad Caecil.

(2) Divinat. Lib. I. N. 100.

umque dixisse : EX. FATIS. QUAE. VEIENTES. SCRIPTA. HABERENT, *Veios capi non posse, dum Lacus is redundaret.* Quanto autem studio fuerint haec eadem a veteribus custodita, docemur abunde ex eo, quod in Annalibus Pontificum de Ascanio legitur, qui condita Alba Longa, eo Penatium simulacra, quae Lavinii asservabantur, transferri curaverat. Quae Lavinium occulto semel atque iterum revenisse narratur, unde ea dimovere nemo amplius ausus esset (1). Prodigium de industria confictum summam gentis arguit religionem in iis adservandis, quae suas origines, sacraque attingebant. Sunt igitur *principia sacra*, ut eo redeat, unde digressa est, oratio, origines sacrae Populi Romani, cui a Curibus Sabinorum additum nomen Quiritium, consociato Tatii, Romulique imperio (2) : renovato deinde sub Superbo, quod ante sub Tullo ictum foedus fuerat, Latinum quoque nomen adiectum (3).

---

(1) Aurel. Victor de Orig. Gent. Rom.
(2) Liv. Lib. I. Cap. V.
(3) Id. Lib. I. Cap. XIX. et Dionys. p. 256.

Quamquam autem foedus omne publicum et idem *sacrum* sine dubio censendum, quod iureiurando interposito sanciatur, *principia* tamen foederis, quo de loquimur, alia peculiari ratione fuisse SACRA nuncupata, facile est colligere ex Servii loco quodam (1), quo Latinus asseritur Penatium monitu per somnium inductus ad foedus huiusmodi cum Aenea ineundum. Tradit item Varro, eodem Servio referente, *visos aliquotiens in somnis* (Penates), *quid fieri vellent, imperasse, eaque nostros* PVBLICE *curasse maiores*; ex quo pronum est intelligere, haec universa, publica, eaque impensissima cura, consuevisse in *Originum*, seu *Principiorum* Acta referri, adservarique. Quid igitur Originum, sive Principiorum Acta haec sanctissima prae se ferebant? Aeneae in primis appulsum in Italiam, eiusque cum Latino initum foedus, quae et *sacra* omnia fuisse, e caelestique universa origine repetenda, res est notissima apud Scriptores romanos, Catonem praecipue (2), Dionysium (3), Victorem, et Virgilium.

(1) Ad III. Aeneid. 148.
(2) In Origin. Gent. Rom.
(3) I. 55.

QVAI. APVD, LAVRENTES. COLVNTVR.. Sacrarum itaque originum Libri Pop. Rom. Quiritium, nominisque Latini, in quibus prima gentis utriusque foedera, Latinae puta, Troicaeque, in unam coalescentis erant descripta ad formam, quam supra e Virgilio expressimus, in Urbe Laurente custodiebantur. Nec mirandum hoc, nisi fallimur, iis videbitur, quibus, quae nuper de Urbe Laurente adnotavimus, prae oculis erunt. Caussam autem novi huius foederis *sacrorum principiorum* inter gentem utramque conciliandi probabilem admodum adsignaverit quisquis animo recogitaverit, quae superius dicta sunt. Ex quo namque de Caesare fama percrebuit, tralaturum eum alio sedem Imperii, deque Augusto, successore eius, consilii eiusdem invaluit suspicio: ex quo Claudii, Neronisque in Ilienses studium non obscurum emicuit: formidatum continuo romanis, ne eorum quis, malo Imperii, id demum efficeret, quod ipsi verebantur. Hinc sacrae hae origines, foederaque cum gentis utriusque historia sanctissime coniuncta, et coli impensius, et per occasionem Principum oculis, memoriaeque subiici. Etsi enim Laurentum Urbs, Claudiana tempestate,

municipali adhuc dignitate pollens aequali quoddammodo cum romanis iure uti videretur; si tamen, quod res est, consideremus, illorum ditioni suberat revera. Eccui igitur non statim subolet, foedera haec utrimque aut inita, aut renovata, in speciem quidem ad vulgi animos sedandos, re tamen ipsa ad aliud longe gravius ac formidolosius respexisse? *Errabat multis in rebus Antiquitas*, sic Tullius sapientissime (1): *retinetur autem et ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates Reipublicae mos, religio, disciplina, ius Augurum.*

Paucis nunc foederis huius capita, quantum assequi coniectura παχιτερας saltem valemus, lectoris oculis subiiciamus.

I. Romani, Laurentesque, ut priscae originis abs Latinis, Teucrisque, Aenea auctore, ductae meminerint, eiusque iura et recognoscant, et observent sanctissime.

II. Meminerint tamen, Romani praecipue, occidisse Troiam cum nomine ipso, cuius fortunam, Iunone ducente, tristi clade iterandam, si quis alite lugubri eius tecta reparare in animum induxerit.

---

(1) De Divinat. Lib. I. n. 69.

III. Mutuis invicem sese gens utraque prosequatur officiis caritatis, amicitiaeque ergo (ut inter vicinos, cognatosque decet) communi sacro haec universa rata habento; et publice iureiurando sanciunto.

FLAM. DIALIS. FLAM. MARTIALIS. SALIVS. PRAISVL. AVGVR. PONT. Cetera Turranii munera sacra, et numero, et dignitate amplissima, unoque vix gradu a summo abeuntia, nihil facessunt negotii. Carptim igitur sic attingemus singula, ut tironibus consulentes, eruditorum, si fieri potest, superba fastidia vitemus.

Dixi Turranii sacerdotia uno vix gradu a summo abeuntia, a *rege* nempe sacrorum, ceteris utique dignitate praestante, eaque ipsa de caussa Pontifici Maximo subiecto, *ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius prima tunc erat cura, officeret*, ut Livius praemonuit.

Fuit itaque Turranius Collegio Pontificum primum cooptatus, cui praeerat Pontifex Maximus, deinde Augur renuntiatus. Augurum numerus a Romulo institutorum primo Tribubus aequatus; paullum deinceps ampliatus, ita tamen

ut quaternarium, senarium ad summum, numquam excesserit. Saliorum porro fuit Praesul creatus, is videlicet qui *praesiliendo* ceteris saliendi modum statueret, ac dignitate Saliorum magistro longe concedens.

Saliare Sacerdotium, si gradus ratio habeatur, a Flaminio Quirinali fuerat excipiendum. Sed honorum festinatione quadam, per saltum eo transcurso, Flaminio Martiali Turranius auctus est: postremo Diali, quod Regem sacrorum proxime contingebat. De Saliis, Flaminibusque tum Martiali, tum Diali norunt omnes, nonnisi e Patriciorum genere allegi eos consuevisse.

Iamvero de Sacerdotiorum ordine in Conviviis haec Festus: *Maximus videtur Rex: deinde Dialis: post hunc Martialis: quarto loco Quirinalis; quinto Pontifex maximus.* Itaque in Conviviis *solus rex supra omnes accubat.* Atqui hicdum sciscitabitur aliquis, eccur Romani Imperatores Pontifices Maximi salutari potius optarint, quibus vix quintus a Sacerdotibus relinquebatur locus, quam *Reges sacrorum*? Tu id ne factum ambigito in potestatis, iurisdictionisque gratiam, qua in Sacerdotia reliqua pollebant Pontifices Maximi, eadem ipsa de caussa,

qua et Imperatores iidem Tribuniciam sibi prae ceteris, interdum etiam et Proconsularem sibi adiudicarunt potestatem.

§. III.

DF MVNIIS TVRRANNII MILITARIBVS.

Sacerdotiis longe pluribus, opimioribusque auctus Turranius est, quam splendidis militiae muneribus, ita tamen, ut nemo illum hac etiam parte cum Deorum plebe confuderit. Fuit enim in primis insignis Praefectura Cohortis Gaetulicae. Nemo Cohortem hanc *Praetoriam*, aut *Urbanam* interpretabitur, de qua nulla in marmore nostro commemoratio; sed e decem illarum numero unam sine dubitatione reputabit, in quas dispesci de more Legio omnis romana consuevit. Extat de Staberio apud Fabrettum (1) in hanc sententiam inscriptio.

---

(1) pag. 140. n. 149.

TITO. STABERIO
T. F. QVIR. SECVNDO
PRAEF. COH. CHALCIDEN
IN. AFRICA. TRIBVNO
MILITVM. LEG. VII
GEMINAE. FELICIS
IN GERMANIA PRAEF
EQVIT. ALAE. MOESIACAE
FELICIS. TORQVATAE
STABERIA. MATER. INPENSA
SVA

Ex quo videre aperte est, Turranii Cohortem dici Gaetulicam ratione omnino simili eius, qua Chalcidensis nuncupata, cui praeerat T. Staberius in Africa.

Turranii militaribus insignibus additus et Tribunatus Legionis Decimae, unde Decumani apud Caesarem. Quamvis autem seni Legioni cuique praeessent Tribuni, bini nihilo secius et bini ita per vices imperitabant, ut totam quisque Tribunorum sibi Legionem vindicare videretur, qua de re Horatius :

Quod mihi paruerit Legio Romana Tribuno.

Sed si cui placitum, adeatur Lipsius (1).

In Legionum catalogo ab Augusto per orbem romanum constitutarum duplex occurrit Legio, cui *Decima* cognomen. Altera *Fretensis* nuncupata, quaeque e tribus per Hispaniam dispositis postremum obtinet locum; altera, quae e quatuor item per Syriam ordinatis Legionibus tertio loco cietur. Haec primam Augusto debet originem, triplicique invenitur decorata cognomine, *Geminae*, *Piae*, *Fidelis* (2). In quarum alterutra suo Turranius functus sit Tribunatu, ignorari sine literarum discrimine ullo posse arbitramur. Atque haec hactenus, quorum brevitate temperantiaque superiorum fortasse nimiae redundantiae, ceteroquin ad rem novam explanandam necessariae, satis occursum videri queat.

(1) De Milit. Rom. Dial. IX. L. 11.
(2) Pancirol. Not. Utr. Imper. Cap. XXXV.

COMMENTARIUM III.

DE JURE LUMINUM OBSTRUENDORUM IN VETUS POMPEIORUM MARMOR.

Prodiit item e Pompeiorum ruinis ad diem VIII. Id. Martii anni MDCCCXVII. inscriptio alia, quam refert Cl. Eques, idemque nobis amicissimus, Arditius in suo ad Legem Petroniam erudito Commentario italice conscripto. Est autem huiusmodi :

M. HOLCONIVS. RVFVS. D. V. I. D. TERT
C. EGNATIVS. POSTVMVS. D. V. I. D. ITER
EX. D. D. IVS. LVMINVM
OPSTRVENDORVM. HS. ∞. ∞. ∞
REDEMERVNT. PARIETEMQVE
PRIVATVM. COL. VEN. COR
VSQVE. AT TEGVLAS
FACIVNDVM. COERARVNT

Holconius, quod tertium Duumvir processerat, praefulget in marmore C. Egnatio, qui alterum dumtaxat attigerat Duumviratum. Addita autem ipsorum nominibus cognomina vetant, antiquissimis inscriptionem hanc accenseri; Tribuumque tacita nomina indicio esse queant, eadem Tiberiana tempora minime transcendere.

Ad ορθογραφιαν si quis e tironum grege respiciat, haud equidem ille mirabitur, si in verbo *obstruo* secundae lineae, *b* in *p* affine, itemque in penultima ad vocem *ad*, *de* in *t* simili fato transierit, quorum exempla passim occurrunt, non in literatis modo lapidibus, sed et apud veteres quoque scriptores. Nunc quid sibi velit inscriptio omnis, paucis expendamus, quod uti ex ordine fiat, primo loco marmoris

propositum obiectum ἱστορικῶς exhibebimus: deinde modum, in quo uno quaestio esse potest, attingemus, quo Pompeiani Duumviri ad propositum obiectum sibi properandum duxerint. Postremo de siglis *Col. ven. cor*; quando fieri aliter non potest, brevis admodum, coniecturalisque erit oratio.

I. Aedes erat quaepiam Pompeiorum publica, aut extructa iam, aut extruenda potius; stare enim utrumque potest, et utrumvis licet mavelis, nostra quod interest, perinde erit. Huic itaque aedi non leve servitutis incommodum luminum suorum prospectu afferebat, aut allaturum fortasse fuerat Collegium Veneris e regione, via intercedente, positum. Pompeiani idcirco Decuriones censuerunt, uti ea de servitute redimenda impigre ageretur. Ipsorum decreto, datum negotium M. Holconio Rufo, et C. Egnatio Postumo, qui tunc temporis Duoviri iure dicundo Pompeis praeerant. Res transacta pro voto. Nam datis Collegio sestertium ter millibus, emptum a Duumviris est *ius luminum obstruendorum*, sive comparatum aedi Pompeiorum, ut occlusis Collegii luminibus, ipsa se a servitute redimeret, quam aut servierat hac-

tenus, aut fuerat certe dehinc servitura. Atqui via huc usque plana, nec in quo quis offendere queat, video. Illud non facile obvium cuivis, qua ratione demum Collegii fuerint lumina obstructa, in quo inscriptionis nostrae cardo praecipue versatur. In quam rem, si quid video, frustra omnis erit susceptus labor, nisi ante, quae sit genuina ad rem nostram verbi *τον redimere* censenda vis, quaeque iterum legitima *parietis privati* notio, doceatur.

II. Ergo ad primum quod attinet, etsi nihil vetet, verbum *redimere* stricte accipere pro emptione iterata; neque ego cum eo magnopere contenderim, qui ita sibi accipiendum nostro in casu in animum induxerit; nullus tamen dubito, quin ea vox hoc loco stet pro emptione simplici, quam nullus scilicet contractus alius praecessit, ut Icti loquuntur, Pompeianos inter, Collegiumque illud qualecumque. Omnino eodem illo, ipsissimoque sensu, quo Praetores Aerarii, L. Calpurnius Piso, et M. Salvius *aream terminavisse* dicuntur *ex* S. C. *a privatis publica pecunia* REDEMPTAM (1): et quo Caesar Augustus refertur: REDEMPTVM

(1) Vid. Morcell. de Stil. p. 149.

a privato publicavisse id, quod intra Cippos ad Campum versus soli est (1). Quo utroque in loco, priore in primis, palam est, vim *του redimere* ne latum quidem unguem extra terminos emptionis merae evagari. Fatoque simili prorsus haud raro verbum *reddere* pro *dando* simpliciter usurpatum occurrit, de quo sic Celsus (2): *Verbum reddendi, quamquam significationem habeat retro dandi, recipit tamen et per se* DANDI *significationem.*

Quin ubi aliquid emptum publico nomine intervenit a privatis, *redimendi* libentius, quam *emendi* verbum fere adhibitum videre est, ad potiorem, credo, antiquitatem insinuandam iuris publici prae privato, cui hoc posterius inservire, accomodarique, aequum sit, non e converso, si quando alterum alteri repugnare contingat.

At si cui persuasum omnino sit, *το* redimere nostri epigrammatis pro iterata emptione intelligi oportere, huic ita suae sunt ineundae rationes, ut primum cogitet, *ius luminum* ape-

---

(1) De V. S. D. I. 94.
(2) ibid. p. 147.

riendorum emptione acquisitum a Collegio; deinde hoc idem ius venditione ab eodem Collegio concessum, relictumque Duumviris, quo aedes illa Pompeiorum publica a servitute luminum sat incommoda redimeretur.

III. Ad parietem nunc illum privatum accedimus, quem Pompeiani Duoviri *ad tegulas usque faciundum* curarunt. De quo vanus sim, si pluribus ostendendum aggrediar, medium illum intercedere oportuisse inter aedem Pompeiorum, Collegiumque. Illud magis e re fuerit observare, *privatos* eiusmodi *parietes*, si extimi essent, qualis hic noster, MVROS PROPRIOS quoque a veteribus fuisse nuncupatos, uti constat luculentissime ex illo Taciti loco (1): *nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur.*

Privatus vero dicitur paries hic duplici omnino sensu, eodemque legitimo, quo utroque epigrammatis nostri sententia pulcherrime constat. Nempe et quo privatum a *publico* (2); et quo

(1) Annal Lib. XV. Cap. 45.

(2) *Publici* appellatio ad Pop. rom. proprie pertinebat, unde ex. gr. formula illa agraria: *ager publi-*

iterum *privatum a communi* secernitur. Erat enim in primis paries *ille* contubernii privatus, cuius in solo erat inaedificatus, et in cuius dominio manebat. Erat deinde Contubernii privatus alio quoque sensu, quo nihil ei commune interveniebat cum Aede Pompeiana, quamobrem nec *intergerivus* dici poterat. Idque omnino in caussa fuit, cur in marmore formulam, non quidem *luminibus obstruendi*, sed *luminum* potius *obstruendorum* adhibitam voluerint. Ut nimirum intelligamus, nonnihil inter utramque interesse discriminis, quod quale sit, inscriptione hac nostra monstrante viam, opportunissimum fuerit investigare.

IIII. Verbum *obstruo* cum *accusandi* casu copulatum perpetuo videas apud Latinos Scriptores; nec cum dandi casu reperias, nisi ubi de structura aliqua facienda tractatur iuxta alterius aedificium, quae eidem lumen praeripiat: idque esse, quod *luminibus alterius obstruere*

---

cus pop. rom. aliaque eiusdemmodi. Fuit tamen accomodata, ut cetera fere omnia, Oppidis, Civitatibusque aliis ab Urbe Roma, quas et Respublicas nominari, norunt eruditi.

dicitur, neminem latere puto. Ergo si haec marmori nostro explicanda sententia fuisset, dici procul dubio oportebat: *ius luminibus obstruendi redemerunt*. Ast contra dicitur: *ius luminum obstruendorum redemerunt*, ut forma *απο του lumina obstruere*, non *απο του luminibus obstruere*, sit aperte derivanda. Neque sane evidente sine ratione. Qamquam enim sive luminibus, sive lumina alterius obstruas, eumdem semper obtineas effectum, alienorum nempe luminum obstructionem: at non idem continuo modus, non eadem ratio eumdem pro utroque casu obtinendi effectum.

Priore siquidem in casu struitur quidpiam, quod alienis luminibus officit, sed in *proprio* tamen *solo*. At in posteriore, nihil in solo proprio, verum in eiusmet, cuius luminibus officitur, aedificatur aliquid; quod Collegio nostro a Pompeianis Duumviris contigisse, evidentissimum est. Nam si in publico Pompeiorum solo, vi initi cum Collegio contractus, aedificatum aliquid fuisset, quo Collegii ipsius luminibus obstruebatur, primo nil opus fuerat publica, manifestariaque inscriptione illud commemorare, quod ipsum per se opus non loqui tantum, sed

vel caecis ostendere videbatur. Deinde si hoc demum commemorare quavis de caussa opportunum videbatur; eccur ab usitata, legitimaque formula *obstruendi luminibus* recedendum? Nam si cui fortasse in mentem veniat, utramque formulam et *lumina obstruendi*, et *luminibus obstruendi* nil differre inter se se, eum falsitatis facillime revinci posse ex hoc arbitror, quod si quis suamet ipsius domus lumina occludat, de hoc dici, nemine contendente, posse; *lumina obstruxisse*: sed neminem reor ei assensurum, qui diceret; *luminibus obstruxisse.*

Verum nihil necesse est paullo fortasse longius argumenta repetere ad rem evincendam, quae ipsa per se, proque se ipsa loquitur, si ita loqui fas est. Qua enim via, qua demum ratione occlusa a Pompeianis Duumviris Collegii lumina fuere? Nempe *parietis privati* (proprii videlicet ipsiusmet Collegii) ductu *usque ad tegulas.* Nihil igitur in toto hoc luminum negotio extructum in *solo publico* est, sed totum in Collegii privato solo est effectum quidquid luminum ipsius obstructioni necessarium fuerat.

Hinc intelligitur, ius hoc redemptum, *luminum* potius *obstruendorum*, quam *prospe-*

ctus, dici debuisse: ut iam tum contubernales scirent, si quando olim in hoc pariete Collegii privato de luminibus aperiendis cogitassent, hoc pacto convento sibi interdictum, cuius memoriam monumento publico consignari idcirco necessarium omnino duxerant.

Collegium itaque hoc, quale demum cumque fuerit, ad Theatri prope formam, sive hemicicli, extructum, aedem Pompeianam, via interposita, prospectabat. Quamobrem pariete Collegii privato ad eius usque tegulas ducto, e regione aedis publicae, una et Collegii lumina occlusa, et in suam aedes est asserta libertatem.

V. Pauca nunc de siglis COL. VEN. COR. adnotabimus, quarum ad primam quod attinet, nemini dubium, quin pro Collegio sit accipienda, quod in marmoribus interdum per L. simplex, interdum per duplex exhiberi consuevit. Maius facessit negotium sigla sequens VEN; quam etsi de *Venere* plerique interpetrentur, non ausim idcirco ea de re vadimonium spondere. Sunt enim viri longe eruditi, qui de Venatorum Collegio eam intelligant, quorum ut sententiam non sequimur, ita nec improbare est animus. Quamvis enim in sequente sigla COR.

si ad VEN. referatur, pronius sit aliquid pro Veneris Collegio, quam Venatorum, subolere: curiosius tamen rimanti occurret fortasse quidpiam, quod in Venatorum quoque Collegium perbelle quadret. Quae ideo dicta volui, ut ne in coniecturis capiendis ipsi nobis iusto diutius placeamus; quas quidem in obscuris sectari, sapientis interdum necessitatis est, tenere pugnacius, illiberale omnino arbitror.

Ut fatear tamen, quod sentio, est aliquid, aut esse certe videtur in hac ipsa re, quod pro Venereorum magis, quam Venatorum Collegio facere videtur. Venerem quamdam intelligo Pompeiorum propriam, quam Pompeis extitisse revera, et magnum praeterea aliquid apud Pompeianos audivisse; vel ex his constare potest, quae pictor ineptus picturae suae cuidam ineptissimae subscripsit ineptius: *Abiat Venere Pompeiana iradam, qui hoc laeserit*. Profecto enim, nisi ego in meridiana luce caecutio, haec omnia aperte ostendunt, suam Pompeianis fuisse Venerem quamdam, eamque sive sculptam, sive depictam (ecquis enim alterutrum certo praestare audeat?) non ignobilem sane, ac vulgarem, quam cultu ipsi publico impense prosequerentur.

Atqui haec si sint, ecquid tandem sub sequente sigla COR latere putabimus? Fuit enimvero olim, cum de ea ita statuerem, ut ad parietem illum privatum referrem, et *corruptum* interpretarer, quod et viro ornatissimo Carellio, deque me multis nominibus bene merenti placuisse, vehementer gavisus sum. Incredibili enim voluptate affici soleo, si quando cogitationes meas qualescumque virorum eruditione, ingenioque praestantium cogitationibus amice veluti per viam occurrere contingit. Quod si detur, dicendum, parietem illum terraemotu fortasse, aut alio eiusmodi casu collapsum, obnoxiam sibi luminibus suis fecisse Aedem Pompeianam, eaque de causa initum Decurionum consilium ea de servitute pretio redimenda. Sed parum credibile, id sibi iuris in aedem publicam a Veneris Collegio usurpatum, quod nonnisi pacta, numerataque pecunia redimi potuerit. Ut omittam, hoc in casu parietem illum corruptum *restituendum* magis, quam *faciundum* dici oportuisse. Propius itaque vero videtur, uti sub sigla illa Venus aliqua Pompeianis ea tempestate notissima lateat cognomine sive Corneliae, sive Corinthiae, sive Corfiniae,

sive alio quovis simili, ut plane apud eruditos constat de Cerere Orciliana, de Diana Planciani, de Plutone, Proserpinaque Nervianis, aliisque generis huius bene multis. Nihil tamen certi hac de re pronuntiare audeo, suoque lectorem iudicio permitto.

VI. Illud quis iure sciscitabitur, quae Collegiorum, sive Contuberniorum Veneris partes fuerint, quorum haud raro in veterum monumentis incidere mentio solet? Ego non dubito, ea Venereorum Conturberniis esse munia assignanda, quae Numinis erant propria, unde nomen sortiebantur. Nam et Fabrum, et Aerariorum, Faenariorum, et Centonariorum, et Dendrophororum, et Tignariorum, et Aesculapii, Hygiaeque, et generis eiusdem sexcenta Collegia alia, a suis quaeque ministeriis sibi nomen adscivisse, ecquis demum ignorat? Quo magis Pompeianorum Decurionum cura probanda, qui ut Aedem illam suam publicam a conspectu non satis tuto Collegii huius defenderent, erogatis HS. ∞. ∞. ∞ pro iure luminum obstruendorum sive redimendo, sive emendo, parietem illum Collegii privatum ad tegulas usque faciundum curarunt.

COMMENTARIUM IV.

IN TABULAE OPPIDENSIS PAR. I.

DE RE VESTIARIA PLEBISCITUM.

Miraturque novas frondes, et non sua poma.

Anno Aerae vulgaris MDCCXCIII. Oppidi, Lucanorum Pagi (1) haud ignobilis, Tabula aerea fuit effossa, quam regia pecunia redemptam in Herculaneense Neapolit. Musaeum amplissimum invectam refert vir pietate, eruditioneque nemini secundus, Carolus Rosinius (2), Puteolanus Antistes. Parte, qua antica, qua postica, literata illa quidem conspicitur: anticae tamen fundus Volscus videtur viris eruditis; et fortassis hac ea ex parte exarata primitus literis fuit; in quam nullam pro praesenti, non

---

(1) Oppidum, Urbs altera cognominis Brutiorum, cum Oppido Lucanorum haud temere confundenda.

(2) Dissert. Isagogic.

dicam coloniam ducere, sed ne excursionem quidem facere, est animus. Nec enim pudor est, ingenue fateri (quod olim Vulpes astute) nondum maturam nobis esse. Melius, quoad nostra refert, consultum parti posticae, quae etsi αρχαιχας, latine nihilominus fluit omnis: quodque felix, faustumque siet, Plebiscitum prae se fert de re vestiaria iis, qui in hanc spartam operam hactenus strenue suam collocarunt, ne fando quidem auditum. Ritus ad haec quosdam, ceremoniasque complectitur ad iurisiurandi formulam pertinentes, quae nunc primum degustare, harum cupediarum sectatoribus non sine aliquo voluptatis sensu contingere posse, putamus. Illud dolendum, temporis iniuria, suo Plebiscitum carere Proemio, quo de Tribuno Legis rogatore, tempore, Tribus praerogativa in ferendo suffragio edocti sine dubio fuissemus. Supersunt tamen Legis, sive Plebisciti *Capita*, ut vocant: superest *Sanctio*, eademque gravissima sane, penitiorisque antiquae sapientiae referta. Verum utraque enimvero (quod aeque, an magis querendum?) non uno in loco, nec brevissimis patentia hiatibus; quibus quidem implendis ingenium fortasse nostrum, for-

tunamque, operam certe haud erit lector desideraturus. Iam rem ipsam adgrediamur.

Plebisciti Proemium tale, aut simile quidpiam fuisse oportuit; . . . . *Trib. Pl. Plebem rogavit: Velitis, iubeatis,, uti in eos lege animadvertatur, quibus, cum per aetatem, sexum, dignitatemve minime liceat, Praetexta, Soleisque poplice utier placet? Plebsque scivit. Tribus . . . . . . Principium fuit. Pro Tribu . . . . scivit.* Atqui haec παχυτερως quantum satis lectori veterum formulis in hisce rebus parum fortasse adsueto. Nunc quaedam notanda in antecessum, quo Legis ipsius, seu Plebisciti res omnis, finisque propositus recte teneatur, atque hinc semita aliqua, seu rima pateat ingentibus eiusdemmet ruinis suppetias utcumque ferendi.

§. I.

Quaenam plebiscito tabulae oppidensis proposita res? Quo tempore rogatum? Quae illius Fortuna?

Notum cuique reor, *Plebiscita* hoc differre a *Senatusconsultis*, quod ea absque auctoritate senatus, patriciorumque interventu rogabantur per Magistratum sive Patricium, sive Plebeium; haec vero Senatus ipse decernebat: utrumque item a Lege proprie secerni, cuius *auctoritas* penes Senatum, *potestas* penes populum, ut Lex una in se complectatur, quod proprium est alterutrius, Plebisciti videlicet, Senatusque consulti. Sed postquam lege Horatia primum an. V. C. CCCV; Hortensia dehinc ad an. CCCCLXII. plebiscita quoque vim strictae legis obtinuere, queis nempe Plebs iuxta, ac Patricii tenerentur, plebisciti nuncupatio passim cum lege alternare, miscerique coepit. Quae ideo tetigi, quod utrum Patres plebiscitis tenerentur, saepe in iure controversum, etiam post Legis Horatiae rogationem, quae sine caussa lege Hortensia confirmata esset, ubi nulla ea de

re sive iuris, sive facti mota quaestio fuisset (1).

Iam ut ad Plebiscitum Tabulae nostrae Oppidensis (sic enim illam posthac licebit nominare) propius accedamus, neminem latere puto, Praetextam, togae genus ab Hetruscis acceptum, pueris exceptis ad aetatem usque virilem, feminisque ingenuis, quousque nuberent; Sacerdotibus item, Magistratibusque, Colonicis etiam, et Municipalibus; Collegiorum ad haec, Vicorumque magistris; gestare praeterea nemini licuisse. Nam quod Manutius olim suspicatus est, Tullii loco quodam permotus, Praetextam Senatorum quoque propriam fuisse, id et iam diu refellit Octavius Ferrarius (2), et falsissimum ostendit Tabula nostra Oppidensis, ut iam profligata omnino viris eruditis censenda sit Manutii haec sive opinio, sive suspicio. Nostrum quippe Plebiscitum, uti mox videbimus, totum in eo est, ut Cives, Equites, Senatoresve romanos a Praetextae, Solearumque publico usu absterreat.

---

(1) Vid. Anton. August. de Leg. ad L. Horat.

(2) De Re Vestiar L. II. C. I. et. seqq.

De Plebisciti aetate nihil certum, definitumque habeo dicere. Cum interim illud perpetuo Lex, seu Plebeiscitum dedita veluti opera nuncupetur: cum Magistratus universos tum Patricios, tum Plebeos, tum Ordinarios, tum Extraordinarios, ne Dictatore quidem excepto, ut sui observantiae advigilent, iurisiurandi fide interposita adigat: cum poenas gravissimas infligat, non iis modo, qui se refractarios legi praebeant, sed et his, qui iusiurandum detrectent, ut neque Magistratum, Imperiumve petant, neque si gerant, habeantve, gerere ultra, habereve sinantur: pronum est colligere, illud non ante latum, quam lege Hortensia Plebiscitis iterum vis legum est adserta. Id suadet multo melius Tabulae Oppidensis *ορθογραφια*, *συνταξις*, *των χαρακτηρων* forma, ceteraque huiusmodi Bacchanalium Senatus consulto propiora, quam Horatianis temporibus parum a Duiliana rostrata Columna distantibus. Verum quidquid huius rei sit, duo saltem certa omnino statui posse videntur.

Legem hanc in primis, seu Plebiscitum, Patres et insita generi superbia, et impotenti in plebem dominandi cupiditate, aegro admo-

dum animo tulisse. Cuius rei argumentum, ac veluti praerogativam sumo tum ab ipsa Plebeisciti oblivione, cuius altum apud Scriptores silentium, tum ab exemplari unico prorsus Tabulae nostrae Oppidensis, quod forte fortuna abditum, servatumque, tot iam seculis dilapsis, tandem aliquando suis e visceribus tellus prodidit Lucanorum. Eccui etenim haec audienti non statim in mentem veniat Livianae narrationis (1), qua docemur, ad Aediles plebeos, L. Valer. et M. Horatio Coss. in Aedem Cereris Senatusconsulta delata, quae ante, Consulum arbitrio, interpolari, aut supprimi omnino consuerant? Cur autem de Senatus consultis, quam de Plebiscitis potius, mentionem iniiciat Patavinus, plane non video. Utraque saltem complexus esset. Nam Pomponius contra asserit, multoque in speciem vero similius, cum de Plebeiis, non de Curulibus Aedilibus agatur; *eos creatos*, *qui aedibus praeessent*, *in quibus omnia* SCITA SVA *plebs deferebat* (2). At si cuius Plebisciti Patres pertaesum fuerat,

(1) Lib. III. Cap. 26.

(2) De Orig. Iur.

huius nostri et fuisse oportuit, et gravissime fuisse, quo tam aperte illorum et levitas taxatur, et castigatur superbia, ut nullum non movisse lapidem putandi sint, quo illud hominum oculis, memoriaeque subtraherent. Atqui id illis pro voto cessisse, tantum non clamat exemplar Oppidense unicum prorsus, insperatoque demum orbi literato redditum, quo rei vestiariae in de Legibus adhuc cognitis impleretur hiatus.

Alterum, quod multo etiam priore certius videtur, illud est: legem hanc sanctissimam, subsecutis inde temporibus, neglectam Patribus, spretamque prope fuisse. Nam C. Asinius Pollio inter cetera graviora, quae Balbo Quaestori obiicit, illud recenset, quod in ludis gladiatoriis, cum Fadius per vim correptus, defossusque vivus combureretur, ipse interim Balbus, crudelitatis auctor, *pransus*, *nudis pedibus*, *tunica soluta*, *manibus ad tergum reiectis*, inambularet. (1). Et Gellius de T. Castritio, praeceptore suo, et rethore clarissimo, Divo imperante Hadriano, refert: *Cum, me praesente (usus sum enim eo magistro) discipulos quosdam suos Senatores vidisset die*

(1) Epist. 32. Famil. Cic. L. X.

feriato tunicis, et lacernis indutos, et gallicis calceatos, equidem, inquit: maluissem vos togatos esse. Pigitum est, cinctos saltem esse, et penulatos. Sed si hic vester huiusmodi vestitus DE. MVLTO. IAM. VSV. IGNOSCIBILIS. EST. *soleatos tamen vos Populi romani Senatores per Urbis vias ingredi, nequaquam decorum est, non hercle vobis minus, quam illi tum fuit, cui hoc* M. *Tullius pro turpi crimine obiectavit* (1).

Ex quibus Gellii verbis patet evidentissime, leges vestiarias ita pene iam tum obsolevisse, ut qui in eas deliquisset, *de multo usu ignoscibilis* videretur, quas et Tullii aetate impune violari, supra monuimus. Sed nescio quo casu ad haec deflexinus rectae viae obliti, si tamen revera obliti. Nunc ad eamdem redimus, eique pressius insistemus. Iam vero quando Proemio Legis suppetiae quales quales supra allatae sunt, ne pigeat modo Tabulam ipsam omnem Oppidensem lectorum oculis subiicere eo cum praemonitu, ut quae minoribus literis, haec marte, periculoque nostro suffecta; quae maioribus, ea ipsissima Tabulae verba esse, sciant.

---

(1) Noct. Attic. Lib. VIII. C. XX

§. II.

Tabulae Oppidensis, qualis nunc exstat, prospectus cum supplementis.

... *Populum iure. rogavit. Populusque. iure. scivit. in Foro. pro. rostr. A. D. . Tribui Principium. fuit.. pro. Tribu..*

Quei. Ceivis. Rom. Eques, SenatorvE. IN. POPLICO. IOVDICIO. NE. SE. *PRaetextam. Soleasve habentem ingerito.*

Neive. Dict. Cos. Pr. Aed. Q. NEIVE. QVIS. MAG. TESTVMONIVM. POPLICE. EIDE*m. sinito. den*ONTIARE (1).

Vadem. neive. poscito. neive. DATO (2).

---

(1) Ita restituimus Venulei Saturnini auctoritate permoti, cuius ecce tibi verba L. III. Publ. Iudicior. *Eadem lege tenentur, qui ob denuntiandum, vel non denuntiandum testimonium, pecuniam acceperint.*

(2) Occurrit formula huiusmodi in Leg. Mancup. ap. Varron. L. V: de Ling. Latin; neque occurrere quidquam opportunius poterat ad Tabulae nostrae hiatum, legis fine perspecto, implendum; quod loco suo dicetur.

NEIVE. IN. POPLICO(1).LVVCI. PRAETEXTAM. NEIVE. SOLEAS. HABETO (2).

NEIVE. QVIS. *eum.* IN SENA*tu. Mag. adese. sinito.*

QVEI COMQVE. COMITIA. CONCILIVMVE (3). HABEBIT. EVM. SVFRAGIVM. FERRE. NEI. SINITO. *extra. Comit*IVM. DEICIEt. *Conciliumve.*

---

(1) *Poplice* primitus, a *populo* nempe ducta originatione, quod *publice* posterius dictum fuit. Inde Valerius dictus *Poplicola*, quod populo studeret.

(2) *Soleis* unae pedum tegebantur plantae, caeque viris, feminisque communes, sed viris domi tantum. Ad crepidarum, sive sandaliorum genus referuntur. Publicum virorum calceamentum erat *calceus* nigri coloris, quo pars etiam pedum superior ad medium usque crus tegebatur, sed cavus tamen, claususque, quo a cothurno distabat. Calceo *mulleus* per omnia similis, uno colore dissimilis, Senatorum proprius. Adesis Octav. Ferrar. de Re Vestiar. Analect. Cap. XXXII. Soleae formam videre est in Eumachiae statua nuper Pompeis reperta.

(3) In *Comitio* cum populo universo, in *Concilio* cum populi parte agit is, cui agendi ius est. Vid. Gell. L. XV. C. XXVI; quo Laelii Felicis locum refert, ubi *Consilium* pro *Concilio* legere est. Sed rectius *Concilium* scribi docet Tabula Oppidensis.

Eamque. ob. REM. *si. quei. Ceivis. Rom. Eques. hacce.* legE PLEBIVE. SCITO. FACTVS. ERIT. SENATORVE. FECERIT. GESSERITVE. QVO. EX. HACE. LEGE. *plebivescito. sibi. caveri. oportuerat. Sei. quod oportu*ERIT. OPORTEBITVE. NON FECERIT. SCIENS. D. M. SEIVE. ADVORSVS. HANCE. LEGEM. FECERIT. *gesseritve. multam. ab. eo.* QVEI. VOLET· MAGISTRATVS. EXSIGITO. SI. POSTVLABIT. QVEI. PETET· PR. RECVPERATORES *adsignato*, *per eo*SQVE EVM. SEI ITA. PARIAT (1). CONDVMNARI. POPVL. FACITOQVE. IOVDICETVR. SI. CONDEMNATVS. *esit. trahitor.* AD. Q. VRBANVM. AVT. BONA. EIVS. POPLICE. POSSIDEANTVR. FACITO.

SEI. QVIS. MAG. MVLTAM. INROGARE. VOLET. dum. *minosus*. PARTVS(2). FAMI-

---

(1) Festus apud Verr. Flac. p. CCL. ad vocem PARET, *quod est in formulis*, ait : *debuit et producta priore syllaba pronunciari*, *et non geminata* r *scribi*, *ut fieret*: *paret.* Pro F esti emendatione testimonium denuntiari luculentissime a Tabula nostra, quisque videt per se.

(2) Literae TV hoc nexu N̄ exhibentur in Tab. nostra : isque iterum recurrit ad versiculum 19. in vo-

LIAS. TAXSAT. LICETO. EIQVE. OMNIVM. RERVM. SIREMPS. LEXS (3). ESTO. QVASEI. SEI. IS. HAACE. LEGE. *horum. manceps. siet. constitutus.*

Mag. quei. NVNC. EST. IS. IN. DIEBVS. V. PROXSVMEIS. QVIBVS. QVEIQVE. EORVM. SCIET. H. L. POPVLVM. PLEBEMVE. *iussisse.* (4).

DIC. COS. PR. MAG. EQ. CENS. AID. TR. PL. Q. III. VIR. CAP. III. VIR. AD. A. IOVDEX. EX. H. L. PLEBEIVE. SCITO.

*Quei. p*OSTHAC. FACTVS. ERIT. EIS. IN. DIEBVS. V. PROXSVMEIS. QVIBUS.

---

ce SenaTV; ne cui fortasse de recta lectione ambigend suspicionis praebeatur occasio.

(3) *Lexs* pro *lex*, uti *sexs* pro *sex*, quod occasione marmoris cujusdam Pompeiani nuper ostendit Cl. Avellinius, idemque animae nostrae dimidium.

(4) *Iubere*, Populi est universi; *sciscere*, Plebis; *censere*, Senatus; *rogare*, *seu ferre*, eius, cui cum populi sive parte, sive universitate, agendi potestas.. *Siremps lex*, i. e. similis lex. De multa pecuniaria supra; hic de multa *familiae*, seu coetus famulorum, res est; et in utroque casu modum multae *minimae* lex praescribit, quod infra enucleatius prosequemur.

QVISQVE. EORVM. MAG. INPERIVMVE (1). INIERIT. IOVRANTO. *in.* *ae*DE. CASTORVS (2). PALAM. LVCI. IN. FORUM. VORSVS. ET. EIDEM (3). IN. DIEBVS. V. APUD. Q. IOVRANTO (4). PER. IOVEM.

---

(1) *Imperium*, quatemus *privato* opponitur, non raro usurpatum videas. In Tabula Oppidensi *Imperium* contra *Magistratum* dividitur, ut imperium eius proprie sit, cuius est *ius vocationis*, *prehensionisque*, magistratus vero eorum, quibus nil tale iure convenit. Imperium deinde aliud *maius* dicebatur, quale Consulis, *minus* aliud, quale Praetoris. Vid. Gell. L. XIII. Cap. XIII.

(2) *Castorus* pro *Castoris*, ut infra *partus* pro *partis*. Ita *Cererus* pro *Cereris* apud Gruter. p. LIX n. 8. et passim *Venerus* pro *Veneris*, *nominus* pro *nominis*. Id vero literarum *i*, et *v* affinitate factum, an quod tertia declinatio, quae dicitur, ad formam quartae item inflecteretur? Veri aliquanto similius prius illud prae hoc altero videtur.

(3) Ut supra *eis* pro *is*, ita heic *eidem* pro *iidem*.

(4) Quaestoris Urbani munia hactenus cognita erant: Aerarii, Legum, Senatusconsultorum, virorum principum, qui in urbem adventabant, cura, quibus adde iusiurandnm abs Ducibus excipiendum de hostium occisorum numero. Nunc primum ex Tabula Oppidensi discere datur, eius quoque fuisse iusiurandum de Plebiscito vestiario tuendo excipere a Dictatore, Consule, Praetore, Censore, Magistro Equitum, Aedili (utique

DEOSQVE. *penates. se. quod. oport*EBIT. FACTVRVM. NEQVE. SESE. ADVORSVM. H. L. FACTVRVM. SCIENTEM. D. M. NEQVE. SE. ESE. (1). FACTVRVM. NEQVE. INTERCESVRVM.

*Qu*EI. EX. H. L. NON. IOVRAVERIT. IS. MAGISTRATVM. INPERIVMVE. NEI.

Curuli) a Tribuno item Plebei, Quaestore, qui sibi successurus nempe fuerat, Triumviro capitali, IIIviro ad Aerar. Iudicibusque datis pro controversiis vestiariis, ut paullo post videbimus, quas et apud ipsum agi lege oportuisse, patebit. Quo minus probanda doctissimi Aulae nostri sententia Quaesturam abs magistratum catalogo expungentis ideo, quod *iure prehensionis* carebat. Atqui, Lege Cornelia, Quaestura magistratibus adnumeratur, quodque ille caussatur, *iure prehensionis* caruisse Quaestorem, id probat, magistratibus minoribus illum accensendum, alioqui, nec Aediles Curules magistratus fuissent, quod vir doctus adfirmare non audet. Quid plura? En Varronis locum apud Gell. loc. sup. cit. *In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum: vocationem, ut Coss. et ceteri, qui habent imperium, prehensionem, ut Trib. Pl., et alii, qui habent Viatorem: neque vocationem, neque prehensionem, ut Quaest; et ceteri, qui neque Lictorem habent, neque Viatorem.*

(1) *Ese* pro *esse*, uti *sufragium* pro *suffragium*, et *intercesurum* pro *intercessurum*.

PETITO. NEIVE. GERITO. NEIVE. HABETO. NEIVE. IN. SENATV. *adesse.* *e*Vm. QVIS. SINITO. NEIVE. EVM. CENSOR. IN. SENATVM. LEGITO.

QVEI. EX. H. L. IOVDICAVERIT. IS. FACITO. APUD. Q. VRB*anum.* *cujus.* *inpe*-RIVM. SIET. QVAESTORQVE. EA. NOMINA. ACCIPITO: ET. EOS. QVEI. EX. H. L. APVD. SED. (1). IOVRARINT. FACITO. IN. TABOLEIS. *scribantur*,

Quei. *sententi*AM. DEIXERIT. POST. HANCE. L. ROGATAM. EIS. IN. DIEBVS. X. PROXSVMEIS. QVIBVS. QVISQVE. VIdebitur. IOVRANTO. APVD. QVAESTOREM. AD. AERARIUM. PALAM. LUCI. PER. IOVEM. DE*osq*VE. PENAT*es.* *neque.* *sententiam.* *deicturum.* *neque.* SE. ADVORSVM. HANCE. LEGEM. FACTVRVM. ESSE. NEQVE. SE. ESE. *quid.* *gratiae.* *precibus.* *daturum.* *ne*-

---

(1) SED pro SE. Nihil hoc sollemnius in XII. potissime Tabulis. *Latinis namque veteribus* D *pluries in verbis ultima adiecta est*, *quod manifestatum est etiam ex Columna Rostrata*; *quae est Duilio in Foro posita.* Quintil. Lib. 1. Cap. VIII.

que(2). *obrepturum. se. subrepturumve. es*SE. HOICE (3). LEGEI. *sive.* P*lebiscito.*

Haec hactenus de Tabulae Oppidensis scriptura, cuius sive defectibus, sive luxationibus, qua parte desiderabatur, medicas, quoad licuit, manus adhibuimus. Expeditos nunc ab hisce curis, grammaticis praecipue observationibus, quas data opera in notas reiecimus, libet in Plebisciti περιοχας singulas inquirere, ab archaismis tamen purgatas, quo nulla lectori vel mediocriter erudito mora sit ad legis totius sententiam adsequendam.

§. III.

Legis, sive Plebisciti Capita.

Sex numerantur Plebisciti nostri *Capita*, quae vocantur, quorum singula eodemmet ordine ipso expendenda aggredimur, quo sunt in Tabula descripta.

(2) Mutuati sumus hanc formulam ex Senecae Controv. 2. L. IX.

(3) HOICE, loco *huice*, alternante O cum V, quod lippis notum.

I. *Qui Civis rom. Eques, Senatorve* (est, fuerit, is) *in publico iudicio ne se Praetextam, soleasve habentem. ingerito.*

Primum itaque Legis caput, ceterorumque veluti cardo unicus, est, ut qui Praetextati, Soleative incederent, a publicis iudiciis arcerentur. Qui enim ita incederet, cui per aetatem, sexum, dignitatemve minime liceret, iam is levitate animi pueris propior, feminisque videbatur, quam viris. Ergo hoc ipso iudiciorum gravitate, sanctitateque censebatur indignus; queis nec interesse utcumque sinebatur, nedum partem sibi quamvis in iisdem usurpare. Ut enim Legis capite altero cavetur;

2. Neve Dictator, Consul, Praetor, Aedilis, *Quaestor*, *neve quis Magistratus testimonium publice* eidem sinito *denuntiare.*

Ad rem Tullius, praeclarissimeque(1). *Noxa poenae par sit, et in suo vitio quisque plectatur. Vis, capite: avaritia, multa: honoris cupiditas, ignominia.* At qui praetextati, soleative inambularent, levitate adolescentulis, honorum cupiditate, luxuque mulieribus accedebant.

---

(1) Lib. III. De Leg.

Abs virorum igitur non dignitate tantum, sed consortio fere, usuque civili abstrahendi, inque adolescentium, feminarumque conditionem reiiciendi videbantur, *intestabiles* eos faciendo; quo quid turpius contingere viro potest? Mulieres equidem Lege XII. Tabularum *intestabiles* Gellius refert (1); in eamque sententiam addit: *inter honores plurimos, qui lege Horatia facti sunt Turratiae, Virgini Vestali adhuc vivae, ius quoque* TESTIMONII. DICENDI. *tribuitur*, TESTABILISQVE. *una omnium feminarum ut sit, datur.* Et Iustinianus impuberes aeque, ac mulieres complectens ait (2): *Neque mulier, neque impubes.... possunt in numero testium adhiberi.* Gravissima haec quidem: verum quod sequitur, adhuc gravius:

3. Vadem neve poscito, neve *dato.*

Quod mancupiorum proprium, quibus a iure sive poscendi vadis, sive dandi, Lege mancup. supra memorata interdictum erat. *Vas* a *Praede* in eo differt, quod hic in re nummaria, ille in re capitali adhiberi consuevit: passim ta-

---

(1) Lib. IV. Cap.

(2) Instit. Testam. per Testes.

men alium pro alio usurpatum scriptoribus videas. Neve cui in mentem fortasse veniret, in rebus dumtaxat iudiciariis sibi a Pretextae, Solearumve usu abstinendum, protinus additur:

6. *Neve is in publico, luce, praetextam, neve soleas habeto.*

Quod dicitur, tale est: Nemini fas omnino, in publicum, diurna luce, praetextatum se, soleatumve dare.

5 *Neve quis* eum *in Senatu* Magistratus adesse sinito.

Quod legis caput ita per se perspicuum est, ut ulteriori explanatione non egeat, quod idem dicimus de postremo Legis capite, cuius haec sententia:

6. *Cumque Comitia, Conciliumve habebit* (magistratus nempe, cui cum populo agendi potestas), *eum suffragium ferre ne sinito.* Extra Comitium *deiiciet*, Conciliumve.

Agendi cum populo universo iure ordinario potestas erat Dictatori, Consuli, Praetori, Magistro Equitum (1). Tribunis plebeis initio cum

(1) Vid. Anton. Augustin. Lib. de Leg. Cap. VII.

plebe una agendi facultas erat (1). Ex quibus omnibus illud pronum est cuivis intelligere, veri nominis Plebiscita universa, et singula, quale hoc nostrum censendum sine controversia, ad Concilia, non ad Comitia, referri oportere.

§. IV.

Legis, sive Plebisciti Sanctio, cautionesque.

Sequitur, ut moris est, legis sanctio, eaque gravis adeo, ut mirari fortasse prima fronte subeat, veteres illos tam sollicitos, anxiosque se praebuisse iis in rebus, quas aetas haec nostra eo usque negligit, ut lenonem ab honesto viro, ingenuoque, a patricio sutorem, secernere non sit. Sed mirari profecto desinet hanc tantam virorum illorum in re vestiaria severitatem, cui vel nomine notae leges Orchiae, Fanniaeque sumptuariae. Ecquid enim pro habitu, incessuque publico non faciant, qui in privatarum se

(1) *Tribuni neque advocant patricios; neque ad eos referre de re ulla possunt.* Lael. Fel. ap. Gell. L. XV. c. 26. vid. etiam Lib. XIII. C. XII.

familiarum sinus quodammodo insinuare solebant, ut convivarum numerum ternario haud maiorem praefinirent? ut caenae modum, sumptumque centenarium, non amplius, praescriberent? ut vino alienigena uti prohiberent? ut volucrum, praeter gallinam unam, nec tamen altilem, i. e. saginatam, apponi aliud omnino vetarent? Adeo, ut ille divinitus ait:

Moribus antiquis res stat romana, virisque!

Sed nos interim rem nostram agamus. Duplex pars facienda sanctionis, quarum altera cives quoscumque romanos, qui in lege deliquissent, attingit; altera eos, qui cum Magistratum, Imperiumve gererent, aut iudicia exercerent, cogere ceteros ad legis observantiam tenebantur. A prioribus ita sibi lex cavendum censuit.

1. *Eamque ob rem* si is, qui Civis rom. Eques, *hac lege*, *plebeive scito*, *factus erit*, *Senatorve*, *fecerit*, *gesseritve*, *quo ex hacce* lege, *Plebeive scito*, sibi caveri oportuerat. Si quod *oportuerit*, *oportebitve*, *non fecerit sciens dolo malo*: *sive adversus hancce Legem fecerit*, gesseritve: multam ab eo, *qui volet*, *magistratus exigito.*

De *multa* pauca, et vulgaria in tironum gratiam adnotabimus: poenam eam nimirum esse pecuniariam, hoceque uno a poena stricti nominis discrepare. Alia *maxima*, quae olim boum triginta in dies, oviumque binarum statuta fuit; alia *minima*, quae ovis unius. Sed Lege Aternia (ita quippe dicendam praecipiunt Fastorum Capitol. nova Fragmenta a Cl. Burghesio vulgata) constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves singulos centeni. Est et praeterea aliud multae genus, *Familiae* a Catone nuncupatum, quae quid, et quotuplex sit, paullo infra ex Tabula nostra exponendum curabimus. Interim quoad rei huius nostrae interest, *multam*, qua de hic agitur, pecuniariam fuisse, persuasum habeo. Sed *minimam*, an *maximam* illam, de qua paullo ante loquebamur? Horum neutrum definitur in nostro Plebiscito, neque ut definiretur, aequum erat. Multam siquidem parem noxae esse oportebat, quae tum delinquentis contumacia, tum eius opibus aestimanda videbatur; ut cum propositum multae modum maximi, minimique videamus, non aliud cogitemus, quam terminos, quos ultra citraque consistere ea jure non poterat. Quod

2. *Si postulabit* , *qui petet*, *Praetor Recuperatores* adsignato: per eosque eum , *si ita pareat* , *condemnari populo* , *facitoque iudicetur*.

Lege Valeria, ius damnato erat provocandi a magistratus sententia ad populum. Ergo si reus multam pecuniariam sibi a magistratu indictam detrectaret, Magistratus, qui multam petierat, Recuperatores a Praetore postulabat, quorum partes erant de controversiis iniuriarum, et facti cognoscere; quorum iudicio si condemnatus fuisset, populo demum, iure provocationis, iudicandus, damnandusque relinquebatur, quo interim tempore nihil Magistratui in reum licebat. Quod

3. *Si condemnatus erit* (intellige, populi iudicio): trahitor *ad Quaestorem Urbanum* : *aut bona eius publice possideantur*, *facito.*

Nempe si populi iudicio damnatus fuerit, tunc trahendus ad Quaestorem Urbanum , cui multam pro criminis aestimatione erogabit in Aerarium inferendam. Si renuat, tum demum eius bona publicabuntur, sive, quod idem sonat, *publice possideantur*.

4. *Si quis Magistratus multam irrogare volet*, dum minoris *partus familias taxat*, *liceto*: *eique omnium rerum* siremps *lex esto*, *quasi si is hacce Lege horum* manceps siet constitutus.

De multa pecuniaria nihil est hoc loco cogitandum, de qua supra Plebiscitum nostrum pronuntiasse vidimus. De eo praeterea hic res est, cuius bona iam sunt publicata. De alio igitur multae genere cogitandum, quod in formula illa DVM. MINORIS. PARTVS. FAMILIAS. TAXAT. contineri certissimum est: quid autem sibi formula ista velit, hoc opus, hic labor.

Desunt Tabulae nostre Oppidensi voculae illae duae: DVM MINOSVS: easdem nihilominus, qui patet, hiatus, admittit perquam commodissime. Eas idcirco subiecimus ex Plebiscito Siliano de Public. Ponder; quod sic se habet (1): *Eum qui volet, Magistratus multaretur* (i.e. multaret), *dum minose patris familias taxat*. Nihil de formula hac vir summus Barnabas Brissonius (2), eam recitasse contentus. De eadem

(1) Vid Anton. Augustin. De Leg. in Leg. Silia.
(2) De Formulis Lib. II.

vir aeque doctissimus Antonius Augustinus in notis ad Festum sic pronuntiat : *aut mendosa sunt* (verba formulae), *aut hoc significat : minore multa, et patrem familias tantum , licere multari.* In priore asserto sistere vir maximus poterat , quod verissimum est. Altera namque , quam subiicit, coniectura , a proposito Legis Silianae fine tam longe aberrare videtur , quam quae maxime. Propositum quippe fuit Legis illius rogatoribus , in magistratus , qui publica pondera maiora , minora , modica fecissent, multae unius poena animadvertere. Finge nunc, Patrem familias non esse , qui publica pondera maiora , minora , modica fecerit. Quid tum? aut impune abeat legis violator , oportet , aut magistratus omnes huiusmodi Patres familias esse , necesse erit ; quorum alterutrum haud facile cuivis persuadebitur.

Fulvius Ursinus feliciter , verissimeque pronuntiavit , mendum cubare in vocula *Patris* , quam *Parti* , auferendi casu , reddendam iussit , adcomodandamque suo ante constituto adiectivo *minose* , seu minore. Tabula nostra Oppidensis habet apertissime. PARTVS (licet innexa simul T et V , uti et ad vocem *Senatu*)

puncto disterminatum a sequente voce *Familias* : nec mihi dubium, quin τo *partus* stet loco *partis* gignendi nempe casu, ut in Tabula eadem *Castorus* pro *Castoris*. Quamobrem formulam hanc utrovis licet modo restituas, aut cum Ursino : *dum minore parte familias*; aut cum Oppidensi : *dum minoris partis familias taxat*, si sententiam respexeris, perinde erit; si lectionis την ακριβιαν, tutior Oppidensis Tabula prae Gelliano exemplari, quo usus est Ursinus, facile videbitur.

Sed qui alite tam bona carcerem praetergressus est Ursinus, frustra erimus, si ad calcem usque decursurum expectemus, idest, enucleate nobis formulae sententiam omnem expediturum. Contentus siquidem correctionis fundum allegasse M. Catonem in Orat. pro Rhodiensibus apud A. Gellium (1), et Festum in *Sacrat. Leg*; ne verbum quidem addit, quo lectori parum erudito de formulae significatione faciat satis. Ingentes tamen illi habendae gratiae, qui Catonis locum digito ostendit, quae unica affulgere fax poterat tenebris hisce dispellendis.

(1) Lib. VII. Cap. III.

Verba Catonis sunt recitanda, praemonito Lectore, Catonem in eos invehi, qui inferri bellum Rhodiensibus volebant, quod hi in bello Romanorum cum Antioco regi potius, quam Romanis, cupissent; quos ita Orator perstringit: *Quae tandem lex est tam acerba, quae dicat: si quis* ILLUD. FACERE. VOLVERIT. *mille numi; dimidium Familiae multa esto?* Sic quippe interpungendus Gellii locus, ut *mille numi* sensum faciant *disiunctivum*, ut vocant, cum *dimidio Familiae*, quo duplicis multae exemplum praebeatur, *pecuniariae* videlicet, et *famularis* (1). Quibus fortasse parum consideratis, Ursinus, verensque alioqui, ut *mille* ii *nummi* sibi incommodarent tantisper, missos facit. Extat et de duplici multa hac Festi locus ad voc. *Sacratae* his verbis: *Sacratae leges sunt, quibus sanctum est, qui quid adversus eas fecerit, sacer alicui Deorum sit, ut* (ita quippe legendum, non *sicut*, ut recte ad marginem

---

(1) Id discriminis multam inter pecuniariam, famularemque. praeter haec, caecus est, qui non videat in illis verb. Leg. 1. *Sei quis aliuta faxsit*, CVM. PEQVNIA, FAMILIAQVE. *sacer: estod.*

adnotatur) *familia*, *pecuniaque*: quae Paulus ita contraxit: *sacer alicui deorum esset cum familia*, *pecuniaque*. Sed e diverticulo, ut dicitur, in viam.

Familiae nomine coetus *famulorum* designatur (1), quibus *multari*, uti in ceteris rebus, *Dominus*, seu Pater familias, lege poterat, aut in totum, ut cun legitur apud Festum: *Sacer alicui Deorum sit cum Familia*: aut *dimidio*, ut in formula Catoniana ante allata: aut infra *dimudium*, qualis sine dubio Siliani, nostrique Plebisciti formula est, qua minor alia cum esse nequeat, intra famulùm unum coerceri omnino illam necesse fuit. Formulae ergo totius sensus hic est: *Liceat magistratui*, *qui volet*, *multam* (nempe *famularem*) *irrogare*, *dum minoris partis* (aestimatione) *Familias*, idest coetus famulorum, *taxat*.

Atqui is constitutis, facile se cuique probatura speramus, quae ad sequentium verborum

---

(1) In hunc sensum Ulpian. L. XXIV. ad Edict. *Nonne aequum est, ei Familiam exhiberi, ut noxium servum adgnoscat?* Et L. LV. *Si quis quem eorum servum, servamve, ex ea Familia, qui eius facinoris noxius erit etc.*

supplementum adiecimus. Verba autem haec sunt: *Eique* (magistratum intellige, qui multam irrogare *volet*, *sive famularem*, de qua mox, sive *pecuniariam*, de qua paullo ante) *omnium rerum siremps lex esto*, *quasi si is hacce Lege* eorum Manceps siet constitutus. Idest: quasi si pecunia, vel famuli per multam constituti iure mancipis ad Magistratum hacce Lege pertineant. Hactenus a privatis personis cavendi lex satagit. Idem nunc faciendum curat cum iis, qui Magistratum, Imperiumve gerant, gesturive forent, et cum Iudicibus, qui ex hac lege sententiam dicturi essent. Quamobrem

5. Magistratus qui *nunc est*, *is in diebus* V. *proximis*, *quibus*, *quique eorum sciet*, *hanc Legem Populum*, *Plebemve* iussisse, *Dictator*, *Consul*, *Praetor*, *Mag. Equitum*, *Censor*, *Aedilis*, *Tribunus Pleb. Quaestor*, *Triumvir Capitalis*, *Triumvir ad Aerarium*, *Iudex ex hac Lege*, *Plebeive scito* :

6. Qui *posthac factus erit*, *is in diebus* V. *proximis*, *quibus quisque eorum magistratum*, *Inperiumve inierit*, IVRANTO (1) in *Aede*

---

(1) Ex Leg. XII. Tabul. *Jouris iourandi ad strin-*

Castoris, palam, luce, in forum versus, et iidem in diebus V. *apud Quaestorem iuranto per Iovem, Deosque Penates*, se quod oportebit, *facturum: neque sese adversum hanc Legem facturum scientem dolo malo: neque se esse facturum; neque intercessurum.*

Iurisiurandi itaque vinculo obligantur ii omnes, de quibus num. 5. conceptis verbis mentio iniicitur. Verum notanda extrema verba numeri eiusdem: *Judex ex hac Lege, Plebeive scito.* His quippe aperte innuitur, eadem Lege, Plebeive scito Iudices tum creatos, qui de Vestiariis controversiis apud Quaestorem Urbanum forent acturi. Qui igitur Magistratum, Imperium gererent tempore Legis latae; qui Iudices vestiarii lege ipsa essent tunc constituti; hos omnes, et singulos in Legem iurare oportebat intra dies quinos a lege lata, ea ipsa die, qua quisque *scisset*: hoc est cum primum in notitiam Legis venisset. Ex quo discere datur, quinque, non amplius minusve, dies legitimos pro Legis notitia communicanda fuisse constitutos, queis,

---

cendam fidem maxuma vis estod. hoc est: iuris iurandi ad stringendam fidem maxima vis esto.

quibusque locis oporteret: quod intra unius Italiae fines coercitum oportuit. At qui posthac Magistratum, Imperium erant gesturi, qui Iudices creandi, hi quidem iurare intra dies quinos adigebantur omnes, et singuli, sed quo quisque die Magistratum, Imperiumve iniret. Age nunc iurisiurandi locum, tempus, modum, Magistratum, apud quem iurari illud oporteret, Deos iurisiurandi testes, vindicesque, vincula demum ipsius, conditionesque per summa capita expendamus. 1. *In Aede Castoris*. En tibi locum, qui quod sacer esset, ad iurisiurandi sine dubio sollemnitatem facit, cuius rei gratia et 2. *publicum* illud esse oportebat, quod ex vocula illa *palam* manifestum fit, et 3. *luce* praestitum, nempe diurna in luce, ante Solis occasum, quae Lege XII. Tabular. suprema tempestas erat. 4. Ad sollemnitatem item iurisiurandi pertinere arbitramur, quod qui iuraret, in *forum versus*, h. e. facie ad forum conversa iurabat; in quam rem non abs re fuerit adnotare ex Festo, Senaculorum, i. e. locorum, in quibus Senatus haberi consueverat, unum fuisse Capitolium, et Forum, in quo solebant Magistratus de republica cum Senioribus *deliberare*, et *apud Quaestorem Ur-*

banum, in manibus puta Quaestoris Urbani, cuius dignitati quantus ex hoc splendor accedebat, quod apud ipsum Iudices, Triumviri ad Aerarium, Triumviri Capitales, Quaestor (quo nempe excipiendus ipsemet foret) Tribuni Plebis: ad haec, Aedilis, Censor, Magister Equitum, Praetor, Consul, Dictator ipse demum, essent iuraturi; nemo, me tacente etiam, non videt. Iam Dii iurisiurandi testes, vindicesque erant hinc Pater ipse Deorum, Iupiter, hinc Dii Penates, quorum sub tutela erant, quae domi penitiora, et cariora habebantur. Hi igitur omnes, quoad sua cuiusque intererat, iurabant, nihil omnino se molituros umquam dolo malo, qua derogando, qua obrogando, obrogandove, sive intercedendo, quod Tribuniciae potestatis erat, quod in Legis, Plebivesciti perniciem vergeret. Quid autem illi faciendum, qui *ex hacce Lege non iuraverit?*

7. *Qui ex hacce lege non iuraverit, is Magistratum, Imperiumve ne petito, neve gerito, neve habeto.*

Bene habet. Nam magistratum qui *petit*, ille ius quoddam ad rem prae se ferre videtur: magistratum qui *gerit*, iure, et facto videtur

possidere: qui *habet*, facto magis, quam iure se tuetur. Atqui iis, qui in Plebiscitum nostrum iurare detrectassent, nihil horum lege permissum.

8. *Neve in Senatu adesse eum quis sinito: neve eum Censor in Senatum legito.*

Arcendus quippe is a Senatu, si Senator esset; et in Senatum per Censorem minime legendus, si talis non sit. Quam gravis poena fuerit, in Senatu legendo quemquam a Censore praeteriri, patet exemplo notissimo C. Atinii Labeonis, qui Trib. Pl. parum abfuit, ut impetrasset, e saxo deiicii vir. celeberrimum Q. Caecilium Metellum Macedonicum, quo Censore praeteritus ante in Senatu legendo Atinius fuerat. Ad Iudices tandem devenitur, quorum futurae partes erant, ut apud Quaestorem Vrbanum *agerent* de controversiis vestiariis. Eaque de re

9. *Qui ex hac lege iudicaverit, is* FACITO. APUD. QVAESTOREM. cuius imperium siet: *Quaestorque ea nomina accipito, et eos, qui ex* H. L. APVD. SE. IOVRARINT. *facito in tabulis* scribantur.

Qui igitur ex hac lege iudicaturus erat, eum *facere* necesse erat apud Quaestorem, cuius imperium erat. Quid his aptius, luculentiusque di-

ci de industria potuisset ad magistratus dignitatem Quaestori conciliandam, plane non video. Nam si *facere* apud aliquem, *cuius imperium siet*, deque re iudiciaria, magistratum non arguat, quid praeterea magistratus sit, non amplius intelligo. Huc facit etiam, quod legis capite secundo Quaestori iuxta, ac ceteris magistratibus praecipitur, ne Praetextatum, Soleatumve *testimonium publice denuntiare*, sinant.

10. Qui Sententiam *dixerit post hance Legem rogatam, is in diebus* X. *proximis*, *quibus*, *quisque* videbitur, *iuranto apud Quaestorem ad Aerarium*, *palam*, *luce*, per *Iovem*, Deosque *Penate*; neque sententiam dicturum, neque *adversum hance legem facturum esse*, *neque se esse* quid gratiae; quidve precibus daturum; neque subrepturum, obrepturumve *esse huicce Legi*, *sive Plebeiscito*. Haec quidem omnia admittit percommode Tabulae hiatus, et in Legis sententiam quadrare praeterea, facile norint periti.

Iudices ergo, qui de quaestione vestiaria dicturi sententiam erant post Legem rogatam, intra dies decem proximos, antequam sententiam dicerent, quaque die opportunius visum, idem

iusiurandum ante ad Castoris praestitum, nunc ad Aerarium apud Quaestorem iterare cogebantur *palam*, et *luce*, quo pollicerentur, ita se de vestiaria controversia, quae erat in manibus, sententiam esse dicturos, ut nihil gratiae, nihil precibus, nihil surreptioni, obreptionive darent, quo Legi huic, sive Plebeiscito, fraus utcumque fieri posset. Nec plura hac de re habeo dicere.

COMMENTARIUM V.

IN TABULAE OPPIDENSIS LUCANORUM

PARTEM II.

Praemonitum.

Tabulae aeneae Oppidensis (1) Lucanorum partem posticam peculiari dissertatione, commentarioque perpetuo prosecuti pro viribus alio loco sumus, nec nostri hactenus poenitet laboris, quem fructum aliquem viris etiam eruditis afferre potuisse, ultro confidimus. Utinam simile aliquid praesumere liceret de Tabulae eiusdem parte antica, ut mihi persuasum saltem est! Sed nihil tale sperandum homini, cui res conclamata videtur, nec videri aliter potest iis, quicumque futuri demum sint, qui rem omnem vel

---

(1) De Oppido nostro haec in Anton. *Itinerar*: *Venusium Civitas*. M. P. XXVIII. *Opido*. M. P. XV.

leviter norint. Nam praeter quam quod in hac Tabulae parte voces omnino novae occurrunt pleraeque inauditae; nova prorsus dialectus (eaque Lucanorum , ut ego quidem arbitror , non Volscorum propria), ne una quidem linea in Tabula superest universa , quae a carcere ad calcem usque decurrat ; quo nempe subsidio fultis , certae alicuius sententiae ante stabilito tenore , saltem divinari in cetera auspicatius contigisset. Verum enimvero tali fato Tabulam omnem ex adverso videas et miserrime luxatam , et a summo deorsum, parte in primis dexteriore, dimidio fere imminutam, decurtatamque. Sed vel sic tamen audendum aliquid , famae etiam nominisque qualiscumque periculo , ne veritatis studium gloriolae cupiditati , quod plane miserandum , cedere locum videatur. Nostro deinde hoc periculo futurum auguramur , ut novam hanc spartam paratiores alii, instructioresque ingrediantur , quae nobis latentia adhuc , in lucem ipsi felicius proditauri , quaeque fortassis in veri speciem a nobis procusa , iidem solidius confirmaturi.

§. I.

De Tabulae nostrae aetate, characterumque tum forma, tum numero.

Tabulae aetatem si respiciamus, triplici ex capite sumi de ea coniectura potest: Ex literis, inquam, C. G. et ex dyphthongo AE; quibus omnibus ea passim utitur. Quorum primum indicio esse queat, tabulam exaratam fuisse, postquam litera K literae C locum cessit. Quandoquidem, uti ex Mario Victorino discimus, K, post receptum C, *supervacuum esse coepit.* Alterum vero insinuare videtur, eamdem anno V. C. 530 posteriorem esse: si quidem hoc anno literam illam primus induxit Carvilius Praetor. Tertium denique facile suadet, tabulae scripturam annum Urbis sexcentesimum, susque deque, parum anteire, cum hisce sub temporibus recepta apud Latinos dypthongus AE inveniatur.

Verum ecquid, dicet fortasse aliquis, Lucanae, qua de hic quaeritur, cum Romanorum dialecto? Fieri enim potuit, ut e Lucanis Latini, non e converso, haec omnia sint mutuati.

*

Et hoc fieri potuisse, libentissime assentior, quo casu longe remotior constabit Tabulae antiquitas. Sed cum plura utrique dialecto sint communia, Lucanique dudum memorata ante tempora in romanam concesserint ditionem; paullo vero similius videtur, haec ab romanis potius accepisse Lucanos. Quo uno exemplo monitum lectorem volo, me coniecturis qualibuscumque meis numquam aequo diutius fore, ut indulgeam, et opinioni cuivis nihilo plus delaturum, quam extorquere rationum momenta videantur.

In characterum forma nihil minus, quam elegantiam, nitoremque requiras. Veterem ubique negligentiam praeferunt. Latini tamen omnes, paucis admodum exceptis, de quibus sigillatim nunc ex ordine agendum. Atque ecce tibi heic ante omnia singulorum schema subiectum.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. V. X. Z.

Lucanorum itaque alphabetum universum unum et viginti characteres complectitur, quorum novemdecim priores simplicem, posteriores reliqui duplicem referunt potestatem.

Litera D Lucanorum propria cum Volscentibus, Latinisque videtur. G autem cum in pri-

scis Italorum alphabetis universis desiderari, observarit Lanzius, sequitur eam aut Lucanorum cum Romanis communem fuisse, aut alterutros invicem fuisse mutuatos.

O Latinis, Lucanis, Volscis, Euganeisque proprium, ceteris passim E pro O usurpantibus.

Litera K nullibi occurrit in Tabula Oppidensi, cuius loco, C adhibetur iisdem fere illis in vocibus, in quibus Tabula aenea Veliternorum, ut quidam contendunt, utitur litera K. Dixi, ut quidam contendunt; non enim desunt quibus iniecta suspicio est, eam ad Veliam potius pertinere, quam in rem fortasse aliquid mantissae loco erit adtexendum in eam, quam de ipsa dudum adornavimus, lucubratiuncula. Sed redeo ad rem, et aio: tabulae huius, sive Veliternorum, sive Veliensium, dialectum, ut alia non suppeterent argumenta, longe aliam se ab Oppidensi nostra probare, vel hoc uno, quod posterior haec literam K perpetuo reiicit, a qua prior illa minime abhorret.

Peculiaris item Lucanorum, Tabularumque Eugubinarum videtur litera Q, qua carent vetustissima Italorum alphabeta omnia, quamque invectam expungere e romano characterum syl-

labo conati frustra olim fuere Varro , Grammaticique alii. Sed et Z similiter nuspiam occurrit in antiquissimis italorum alphabetis.

Nec illud omittendum: tabulae scalpturam curiosius inspectanti spirituum , quos vocant , veluti detrita vestigia quaedam adparere , lenis quidem ad hunc modum ⊢ ; densi vero sic : H.

Latinorum denique notas numericas VI. X. XX. XXX. passim cernere est. Ad haec et O, ad graecorum fortasse imitationem , quam notis numericis esse accensendam , sigla praefixa N. ostendere liquido videtur.

§. II.

De vocum Tabulae Oppidensis fundo , et syntaxi.

In tabula nostra in primis voces non paucae graecanicas se manifestarie produnt. Ecquis namque tales esse ambigat *pan*, *piei* , *auti*, *touto* , *tauti* , *allo* , aliasque saporis eiusdem bene plures? Quas enim graeco de fonte modica cum sui inflexione cadere perspicuum est, hae longe plures numero sunt , deque iis sigillatim in Lexi-

co, pro suo cuiusque loco, tractabimus. Quod igitur vir summus Mazochius (1) aiebat, *in Messapia, Lucaniaque tota inscriptiones quidem graecis characteribus occurrere, ut tamen non sint plane graeca, cum verbum nusquam graecum exculpi queat*; id nunc primum falsitatis redarguit Tabula Oppidensis, in qna romanis licet characteribus exculpta, graeca nihilominus vocabula passim obviant.

Sed et vocabula incidunt τα αρχαϊοτετα illa quidem, latina tamen mera omnia. Eiusmodi sunt et το *estud* pro *esto*; et *sipus perum dolom mallom*, idest, *sciens per dolum malum*; et *exac* pro *deinde*; et *carneis* pro *carnes*; et *commoni* pro *communi*, ut alia complura missa heic faciam, de quibus loco cuique suo redibit oratio.

Non pauca iterum Oscae omnino se produnt originis, ut *molta* pro eo, quod *multa* dici deinceps consuevit, et *Meddix touticos*, et *fortis Valaemos*, ut alia praeteream, de quibus non adeo certa constare ratio queat. Ex quibus universis veluti in transcursu adnotatis, illud, ni

---

(1) Tab. Heracl. pag. 12.

fallor, colligere certo datur: in tabula hac nostra Oppidensi, idemque statuo de ceteris nostris vetustioribus monumentis, frustra eos esse oportere, qui aliunde, quam ex graecis praecipue, oscis, latinisque fontibus auxilium petunt; eosque, qui in Boreales ad id, Orientalesque plagas longa suscipiunt itinera, non minus belle facere, quam qui familiae quisque suae, gentisque originem pervestigaturus, ad humani generis parentem Adam provocaret.

Ad graecum interea idioma quod attinet pro praesenti, non abs re fuerit, illud prae oculis habere, quod de Lucanis testatur Porphirion ad Horatii Serm. I. eos nempe iuxta, ac Brutios, Apulosque, tametsi osce loquerentur, graeco etiam usos fuisse idiomate, eoque *dictos bilingues*, *quod Magnae Graeciae essent contermini*.

De syntaxi non est, quod pluribus lectorem morer; quae tum graecorum, tum latinorum in primis, morem imitatur. Ceterum nemo unus in rudi lingua elegantiae flosculos quaesitum ibit, quos neque in vetere graeca, aut romana, aut etrusca, aut alia demum quavis paullo remotioris antiquitatis exquirere viri erudi-

ti consueverunt. Idem de ορθογραφια, ne longum faciam, praemonitum volo. De singulis, prout se dabit occasio, dicetur in Lexico.

§. III.

Nonnulla de nominum inflexione, verborumque thematis, ut vocant, investigatione.

Nominum declinationes, ut Grammatici aiunt, latino more decurrunt pleraeque in Tabula nostra. Primae declinationis exemplum suppetit luculentissimum in voce MOLTA casus recti, et in adiectivo MAIMAS quarti casus plurativi. Secundae item, ut in vocibus PARASCVSTER, DOLOS, AMNOS, MALLOS, quae enim post in VS, fere in OS terminabantur antiquitus ad instar tertiae Graecorum. Quin et gignendi quoque casum numeri singularis imitatione eadem in V inflexum videas, ut AMNV, DOLV; et quartum declinationis eiusdem, eiusdemque numeri in OM, ut DOLOM, TANGINOM. Quamquam in Tabula casus hic in VM quoque terminatur, sive alternante V cum O;

sive verius quod nullae fere olim in his certae regulae, perpetuaeque, quas linguis non maturescentibus, sed maturis iam, absolutisque accedere, ecquis ignorat? Tertius quoque casus plurativus declinationis ipsius, eadem imitatione, exit in OIS, ut manifestum est in vocibus ZICOLOIS pro *siclis*, et NESIMOIS pro *nesimis*. Tertiae demum latinorum declinationis vestigia adparent evidentissima in voce CARNEIS pro *carnes*, et SENATEIS pro *senates*. Nec plura his mihi subolent in Tabula nostra Oppidensi ad declinationum numerum sive ampliorem, sive arctiorem statuendum.

Paullo difficilior, ne quid amplius dicam, thematis verborum investigatio. *Activa* quae dicuntur, videas terminata in O, interdum pura, praeeunte interdum consonarum aliqua. Atqui quae in *o* purum exeunt, ea solent esse in *ao*, *eo*, *io*, *uo*, cum de *oo* nihil sit hactenus de Tabula extundere. Quae consonis afficiuntur, per omnes fere huiusmodi literas vagari videntur, quantum datur ex Tabula ipsa colligere. In ea siquidem occurrunt verba desinentia in CO, DO, GO, MO, NO, RO, ZO. Neque porro cogitandum, ceteris istiusmodi terminationibus Lucana

verba caruisse, quod non omnia et singula in Tabulae unius fragmento sit videre.

Non eadem tamen inflectendi ratio videtur esse verborum in *o* purum desinentium, et eorum, quae consona aliqua idem *o* adfectum habent. Haec posteriora latinorum aemulantur morem, uti constat in vocibus *medicat*, *anget*, *angit*, *cenzazet*, quae mera esse verba, non dubito. Contra, quae in *o* purum exeunt, ea graecorum magis sequi inflexionem videntur; quod, nisi caecutio, ex vocibus *piei*, et *comenei* datur intelligi, quae et verborum vim prae se ferunt, et tertiae singulari indicativi praesentis respondent. Hinc de ceteris coniecturam sumo, ea graecorum coniugationi pro barytonis proxime accedere oportere. Sic itaque disponi quatuor hasce verborum classes pro tempore praesenti indicativi singularis posse, reor:

I. AO.

DEIVAO. (consecro). DEIVAIS. DEIVAI.

II. EO:

HEREO (taxo). HEREIS. HEREI.

III. IO.

TADAIO (adeo). TADAIS. TADAI.

IV. VO.

FVO (sum). FVIS. FVI.

De numero plurativo nil datum ex Tabula statuere.

Sed et tertia singularis modi, de quo retulimus, exit in RT, ut in vocibus AMPERT, et AMPFERT verborum *ampero*, et *ampfero*, nisi forte haec eadem in tertiam singularem subiunctivi modi inclinent, a cuius certe potestate nihil abhorrent.

De praesenti subiunctivi modi licet coniecturam capere a vocibus HAFIEAT, et TADAIT, quarum priorem a verbo *hafieo*, posteriorem a *tadaio* repeterem. Si igitur coniecturae fides erit: *hafieam* (eiiciam), *as*, *at*; et *tadaim* (adeam), *ais*, *ait*. Ita olim *verberit* pro *verberet*, et *edim*, *is*, *it* pro *edam*, *as*, *at*, quod in *sim*, et *velim*, eorum-

que compositis adhucdum observatum novimus, et in subiunctivo modo verbi *audeo*. Hinc plurativi numeri terminationes, saltem pro verbis in *io*, et *uo*, crediderim fuisse *imus*, *itis*, *int*; quod suadere videntur τα αρχαϊκα *duint* pro *dent*, et *perduint* pro *perdant*.

De tertia vero singulari praeteriti modi eiusdemmet, nullus dubito, quin in *ast*, *est*, *ist*, *ust* perpetuo fere exierit, ut patet in vocibus DEIVAST, HEREST, DIDIST, PEFACVST; VRVST, quae pro *deivarit*, *hererit*, *didirit*, *pefacuerit*, *uruerit* stare, ille ambiget, qui ignorarit, antiquis FVST pro *fuerit* usurpatum fuisse, quod et in Tabula nostra factum saepiuscule videas. Haud me fugit, stare haec eadem posse pro tertia praeteriti passivi modi indicandi: nam et antiquis *situst* idem valet, ac *situs est*, et *paratust* sonat *paratus est*, ut alia bene multa omittam generis eiusdem exempla palmaria. Sed ab eiusmodi significatione abhorrent loca Tabulae nostrae, in quibus voces hae occurrunt. Utrum usurpatae alibi passiva significatione haec fuerint aliquando apud Lucanos, nec aio, nec nego.

Quam semel arripui viam, quoad per vires licet, sedulus insisto: cumque in Tabula nostra vox FVID occurrat, quam imperandi modum arbitror obsoleti *fuo*; ergo et DEIVAID, et LICITVD, et PEFACID, et PRVHIPID Tabulae eiusdem imperativa arbitror statuenda verborum *deivao*, *licito*, *pefacio*, et *pruhipio*.

§. IV.

Ad obsoletarum dialectorum intelligentiam observationes nonnullae.

Veterum Italorum dialecti nec vocibus syllabicis, qualis gentium mos est ad polum vergentium, constitere, neque praefixis, suffixisque, quae Orientalium consuetudo: sed syllabarum magis tum redundantia, tum transpositione quadam, quibus aut reiectis, aut loco suo redditis, licet plerumque vocum vim ex sono ipso expiscari. Eccui enim suaderetur, nisi id Festus disertissime doceret: *Alumento pro Laomedonte a veteribus romanis, necdum assuetis graecae linguae dictum fuisse*; et *MELO pro Nilo, et Catamitum pro Ganimede, et*

Alphium pro Alpheo? Quis iterum crederet, nisi nota res esset, verbum MALO proxime a *mavolo*, idque a *mage volo*, et postremum hoc denique a *magis volo* fuisse detortum?

Mihi deinde persuasum omnino est, in linguarum mutationibus, quas nemo de repente tamquam de caelo contingere putabit, primitiva quaedam, tum quoad vocum substantiam, tum quoad sonum ipsum, saltem παχυτέρως, pleraque perseverasse; quae qui sedulo rimatus fuerit, nae is in obsoletis veterum monumentis acutius multo cernet, quam qui eadem adgrediatur tanto praesidio destitutus. Placet in huius rei confirmationem vulgaria quaedam in medium afferre. BVAS antiqui *potiones*, PAPAS *cibum*, MAMMAM *matrem*, TATAM *patrem*, referente Varrone, dixere, quas voces in vulgus perennasse ad haec usque tempora, quis nostrum ignorat? Nil pronius, quam alia eiusdem generis exempla, de vulgi potissimum faece, conquirere quaqua vorsum. Sed qui in eo laborare velit, is viderit, ne noctuas Athenas convehat. Quae si vera sint, eccur de toto hoc literario negotio non optime meritus ille tandem dicendus, qui vernaculas, obsoletioresque voces,

de rusticorum praecipue grege, conquisitas, addita, quae cuique adhuc constat, significatione, alphabetico ordine digestas eruditorum oculis exhiberet? Sed eccuius populi, regionisve finibus excursio huiusmodi coercenda? Ad Italiam puto universam, partitis inter se doctorum vicibus, prolatandam. Vota, inquis. Assentior, modo ne somniantium, addas.

Quaestionem alteram ad id, quo de agitur, maximi, ut ego puto, momenti ita proponi posse video. Sonorum affinitas, cui *etymologia* insistere potissimum solet, duxne satis certa habenda, qua ab notis dialectis ad ignotas desitasque iter sit? Cui quaestioni ita breviter pro re praesenti posse fieri satis, censeo. Nego, ubi de de dialectis res sit, quae ad diversarum originum gentes, regionesque sint referendae. Aio, ubi de dialectis agitur, quae gentis unius, regionisque sint. Paucis exemplis utramque quaestionis partem expediam. Verbum *calde*, quod Germanis *frigidum* est, oppositam prae se fert significationem apud Latinos, Italos, eosque demum omnes, qui suam ab romanornm dialecto linguam derivarunt. Ea propter et Latinorum *caldo*, sive *calido*, et *caldo* Italorum, et Hi-

spanorum *caliente* , et Gallorum *chaud* , eamdem videas subesse potestatem. Quis item eamdem non videat tum soni , tum significationis analogiam in Oscorum *totico* , Latinorum *toto* , Italorum *tutto* , Hispanorum *todos* , Gallicoque *toute ?* Quod vulgo nostro dicitur *vottare*, ad impellendi vim designandam , ecquis non videat , graeco *ωθεο* suam debere originationem ? Atqui deficeret me dies profecto, et vox, si persequi huiusmodi singula animus esset. Paucis itaque universa concludam. Ignotae , obsoletaeque dialecti sententiam ex adfinitate verborum dialecti notioris quaerendam gentis eiusdem ; in primis si haec ab illa originem ducat. Fieri quippe non potest , ut quae olim verba in gente una per saecula plura dominantia fuere , haec altissima sui vestigia per longissima tempora minime relinquant , quae atteri quidem , minuique procedente tempore , deleri penitus , vix credibile est.

Modi , quibus eiusdem vocis variari sonus consuevit , septem a grammaticis enumerantur. 1. *metathesis* , i. e. syllabarum , seu literarum de loco in locum traiectio. 2. *Prothesis*, sive additio ad vocis initium, quae si in medio contingat, 3. *Epenthesis*; si in fine , 4. *Paragoge* dicitur.

Atqui tria haec per additionem: quae sequuntur, per deminutionem fiunt, quae si in vocis initio locum habeat; 5. *Aphaeresis*; si in medio, 6. *Sincope*; si demum in fine, 7. *Apocope* nuncupabitur. Quemadmodum Graecis litera N, ita Lucanis cum priscis Latinis D paragogica esse consuevit, ut patet in vocibus ACTVD, et AMNVD pro *actu*, et *amnu*, quod Itali imitati deinde sunt. Sed et N quoque paragogice adhibitam Lucanis, suadere facile queat vox AISCEN pro *hisce*: quam consule in Lexico.

TABULAE OPPIDENSIS

LEXICON.

Multa ignoramus, quae non laterent, si veterum lectio nobis esset familiaris. Macrob. Lib. IV. Cap. III.

A.

ACTVD (1). Illud D in fine paragogicum puta, quod subnecti antiquitus vocibus plerisque consuevisse, adnotatum iam alio in loco est, et res praeterea ipsa per se notissima. To *actud* itaque pro *actu* mero accipio. Locus Ta-

(1) Lin. 15. Tabulae utriusque Oppidensis schemata in fine operis exhibebimus. Partis tamen alterius, quam lucanam proprie censemus, haud pigitum est lineas, quae superant, suis singulas consignare notis numericis, quo in iis Lexici voces, quas velit, suismet considerare oculis lector valeat. Si qua in recula minus cum τῳ αρχετυπῳ τοις εκτυποις convenit, suo loco docebitur Lector.

*.

bulae eiusmodi est: *com. preivatud. actud*, quem sic interpretor: *cum privati actus*, praepositione *cum* ελληνικως praefixa gignendi casui; nisi malit quis, utrumque esse auferendi casum, ut sit *cum privato acto*, commutata utrobique litera O cum V sibi adfine. Genitivum tamen potius reor exemplo alio Tabulae ejusdem inductus, quo praepositio *in* cum eodem casu videtur copulata. Ceterum ad sententiam quod attinet, utrumvis arrideat magis, perinde erit.

ACVM(1). Composita facile videri vocula queat ex particula copulativa *ac*, et pronomine *um* pro *eum*. Verum cum in Tabula vox *perum* pro *per* luculentissime habeatur, η αναλογια postulare videtur, uti accipiatur pro simplici *ac*. Utrovis tamen in casu eadem tabulae commati sententia constabit, quod tale est: *acum. herest*. Reddo *ac taxato*, vel *atque cum taxato*. Nam de multae irrogatione inibi videtur sermo institutus.

AETEIS (2). Repeto απο των αετεων, et quartum plurativum arbitror adiectivi *aeteos*, quod fortasse *hornus*, sive *annuus* est. En tabulae

(1) Lin. 24. (2) Lin. 12. 18. 27.

locum: *eis. aeteis. eituas*, hoc est: *in annuas*, sive *hornas vitulas*. Adhuc quippe de multa, seu de victimarum taxatione sermo est.

AISCEN (1). Verte *hisce*, tabulaeque praesidio tutissimus eris, cuius ecce tibi την περιοχαν integram: *ex. aiscen. ligis. scriftas*, hoc est: *ex hisce legibus scriptas*. Verum enimvero το *ligis* pro quarto etiam casu plurativo contractorum sumi fortasse queat, quasi si diceres *ligeis*, i. e. *leges*.

ALLO (2). Vox mere graeca απο του αλλου. Pracit illa in Tabula voci *famelo*: quamobrem *allo famelo* sine cunctatione verto *alio famulo*. Veteribus enim *famel* erat, quem deinceps *famulum* dixere. Quin liquida L in sui adfinem R transibat apud Etruscos, quibus erat *famerie* pro *familia*. Vid. voc. *Famel*.

ALTREI (3). Vertas licet *alteri*, seu *alii*. In tabula legitur: *suae. pis. prumeddix. ud. altrei. castrod. eituas*. Reddiderim igitur: *suae Civitatis primus Meddix*, *aut* (fortasse *haud*) *alii oppidani* (forte magistratus) *vitulas*, et quae sequuntur. Nisi enim fallor, pe-

(1) Lin. 20. 25. (2) Lin. 22. (3) Lin. 13.

rennat oratio sive de multa, sive de hostiarum taxatione, quam tabula primo Urbis magistratui, aut aliis vice ipsorum fungentibus, reservatam vult.

AMIRICATVD (1). Gignendi, vel auferendi casus singularis, cuius thema videtur esse *amiricatos*. Ducerem *απο του αμεριζειν*, quod est *privo*. Quandoquidem, nisi mens laeva sit, de *multa famulari* mentionem iniicit Tabula nostra, de qua *multa* plura in P. I. tabulae eiusdem disputata sunt. Tabulae igitur verba illa: *in amiricatud. allo. famelo*, fortasse hunc faciunt sensum: *in multatione alius famuli.*

AMNVD (2). Quod Latinis *agnus*, Graecis *αμνος* dicitur. Sed antiquis *anus*, et *amnus* dicebatur quoque *annus*, quae posterior significatio quadrare magis videtur in tabulae locum, qui est huiusmodi: *cas. amnud. panpieis. umbrateis. cadeis.* Est autem Osce *casnar* pro *vetere*. Quapropter duae illae voces *cas*, et *amnud* fortasse in unam cogendae, media *n* epenthica, ut sit *casnamnud*. Quae si placeat coniectura, totam sententiam sic complecterer; *veteris anni universis expiatis vasis.*

---

(1) Lin. 22. (2) Lin. 6.

AMNVDINIM (1). Vox απο του *amnud* derivari videtur, vimque adverbii obtinere. Rederem idcirco *annuatim*, vel *anno ineunte*.

AMPFRT (2). Aut reddenda literae F sua auxiliaris E, ut sit *ampfert*; aut legendum *ampert*, imam videlicet hastulam reddendo ei, quod videtur F, ut inde exurgat E. Ad summam: verbo sive *ampfero*, sive *ampero*, *exigendi*, *auferendive* videtur subiecta notio. Ipsa de se testimonium Tabula denuntiato: *Meddix. moltaum. herest. ampfrt. Mistr.* Fortasse: *Meddix multatum taxet*: *exsigit Magister*, alius nempe a Meddix Magistratus, eique inferior.

AMPRVFID (3). Imperandi modus verbi *amprufio*, in cuius significationem non datur coniectandi locus ob ingentem tabulae hiatum. Vox composita nihilominus videtur ex praepositione *am*, i. e. *circum*, et simplici *prufio*.

ANGET (4). Futurum indicandi απο του *ango*, quod facile a graeco αγχειν arcessas. Tabula haec habet: *aisc. Censtur. censaum. aget.* Redde, si placet: *hisce Censor censum a-*

(1) Lin. 6. (2) Lin. 12. (3) Lin. 30. (4) Lin. 2. 20.

get. Videtur tamen ea vox cum sequente *uzet* ferruminanda, ut inde fiat una vox *angetuzet*, non enim inter haec punctum intercedit in tabula ipsa aerea, quam consuluimus.

ATRVD (1). Integrane vox, an mutila, incertum. Integram optarim potius, quod si collineat, gignendi casus erit graeco more terminatus noti adiectivi *ater*.

AVT (2). Notae vox significationis apud Latinos, de qua nil opus plura dicere. Fortasse eiusdem potestatis ac

AVTI (3). Quo in casu I επιτακτικον reputandum foret. Sed vero valde simile videtur, postremam hanc vocem adverbii *ibi* vim posse obtinere.

B.

BANSAE (4). Quae hodie *Banzi*, olim *Banza*, ea *Banze* quoque audit apud Ostiensem; variae videlicet vocis unius *Bansa* inflexiones. Est autem *Bansa* vetus Lucanorum oppidum,

---

(1) Lin. 24. (2) Lin. 20. (3) Lin. 6. 24. (4) Lin. 23.

unde *Bantini saltus* ab Horatio celebrati, et *Bantini populi* apud Plinium. Atqui ecce tibi hanc in rem ipsissima Tabulae verba: *Praesucus. pod. post. exac. Bansae. fust*: quae probabile sit, sic verti posse: *praefectus posthac qui Bansae fuerit.* Bansae huius procul dubio gentile existit, quod sequitur

BANTINS (1): idest *Bantinus.* Nec a vero abludit, olim apud Lucanos, *Bantins* in *intos*, ad modum quintae imparisillabae Graecorum, exisse. Locus interim tabulae est: *ceus. bantins. fust.* Fortasse: *ceu Bantinus fuerit.*

C.

CADEIS (2). Dandi, auferendique casum plurativum reputo vocis *cadi*, quod *vas* interpretor: sic enim suadere videtur locus tabulae. Consule vocem *amnud.*

CARNEIS (3). Nempe *carnes*; sic enim terminabatur olim primus, quartusque casus plurativus tertiae declinationis.

CAS (4). Consule vocem *amnud.*

---

(1) Lin. 19. (2) Lin. 6. (3) Lin. 3. (4) Lin. 6.

CASTROD(1). Probabile videtur, quod nunc Oppidum, id Castrum fuisse quondam nuncupatum. Meminit Frontinus agri cuiusdam *Castrani lege Augustaea* assignati pag. 121. et Goesius pag. 148. Sed nihil adfirmate datum de his pronuntiare.

CEBNVST. (2). Non dubito, quin praeteritum sit subiunctivi modi verbi *cebnueo*, quod est *abnuo*, antiquitus *abnueo*, ut legere est apud Ennium pag. 223. *Cebnust* itaque dictum, quasi *cebnuerit*. En tabulae locus: *suae. pis. censtomen. nei. cebnust. dolud. mallud*. Reddiderim: *suae. civitatis Censtomen* (alium a Censore magistratum puto) *ne abnuerit dolo malo*. Particulam porro *ceb* adversandi vim potuisse obtinere apud Lucanos, si recte video, suadet desita vox *cispellam* pro *dispellam*, qua Plautus utitur in Amphitr. Act. III. Sc. IV.

CENSAMVR (3). Vox haec nominis vim prae se ferre videtur, quam latine *damnas*, sive *aestimatus* reddes. Sic namque in Tabula: *censamur. esuf. eis. eituam*. Forte: *damnas*, sive *aestimatus esto in vitulam*.

---

(1) Lin. 13. (2) Lin. 20. (3) Lin. 19.

CENSAVM (1). Viro ornatissimo Carellio Lucanorum Oppidum, quod nunc *Gensano* dicitur, redolet vox ista. Vero similius tamen videtur, uti *multaum* pro *multando in tabula occurrit*, *sic censaum pro censo*, *seu censendo*, fuisse usurpatum. Ab ea acceptione non abhorret tabulae comma, quod est tale: *aisc. censtur. censaum. anget.* Reddiderim: *hisce Censor censum adiget.*

CENSAZET (2). Indicandi fortasse futurum verbi *censazo*, quod in *censendi* significationem adhibitum videtur.

CENSTOMEN (3). Magistratus nomen, qui fortasse *Censoris* vices quibusdam in casibus fungebatur. Vox composita videtur a latinorum *censu*, et graecanico τομη, quasi si diceretur *census sector*. Redde, si lubet: *Pro Censore*, vel *Sub Censore.*

CEVS (4). Si vox eiusmodi latinorum ipsissimum *ceu* est, S in fine additum επιτακτικον merum habendum.

COM (5). Dele *o*, eique adfinem *x* sub-

---

(1) Lin. 20. (2) Lin. 19. (3) Lin. 20. (4) Lin. 19. (5) Lin. 4. 15.

stitue, prodibit *cum*, notissimae significationis praepositio. Ita veteres *volgum* pro *vulgo*, et *volnus* pro *vulnere* proferre amabant.

COMENEI (1). Tertia singularis praes. indicat. verbi *comeneo*. Si locus tabulae integer constaret, liceret fortasse in eius potestatem tutius inquirere. Verum quod est, eo uti decet. Videtur itaque a graeco verbo μαίνομαι, quod est *ludificor*, posse detorqueri, et in eamdem prorsus significationem, quam mox attulimus. Tabula sic ait: *Deivatuo. sipus. comenei. perum. dollom. mallom. Siom*; deque Sacerdote agere videtur, qui volensque vidensque hostiis minime legitimis fecerit. Verterem igitur hoc pacto: *Sacerdos sciens ludificatur per dolum malum Deo.* Sed fortasse est etiam *maneo*. Vid. voc. *Lamatir*.

COMONO (2). Adiectivus dandi, vel auferendi casus. Dictum ergo oportuit olim *comonus*, *na*, *num*, unde post duplicato *m*, inversaque inflexione cum declinatione, *communis*. Inde ductum

COMONONI (3); idest *communitati*.

---

(1) Lin. 5. 21. (2) Lin. 8. (3) Lin. 8. 14.

CONTRVD (1). Eliso *d* paragogico, superest *contru*, idest *contrarii*, seu adversi, gignendi casus adiectivi olim *contros*, *tra*, *trum*, unde deinceps *contrarius*.

D.

DAT (2). Tabulae verba istiusmodi sunt: *deivatuus. tanginom. deicans. stom. dat.* Reddo *Sacrificator hostiam ostendens constitutam dat.* Ea de re

DEICANS (3). participium crediderim prisci του δεικειν, unde δεικανω, *ostendo*. Nostrum interim *deicao* videtur pro *immolo* reddi posse.

DEICUM (4). Dubium, an vox integra, aut imminuta. Videtur ab eodem themate derivata, et fortassis *oblationem*, *dedicationemve* designat.

DEIVAID. (5) Fortasse imperandi modus verbi *deivao*, quod est *consecro*, aut simile quidpiam. Quamobrem

---

(1) Lin. 11. (2) Lin. 9. 10. (3) Lin. 9. (4) Lin. 10. (5) Lin. 11.

DEIVAST (1). tertia singularis praeter. subiunct. verbi ejusdem pro *deivaverit.*

DEIVATVNS (2). Participium videtur verbi *deivatuo*, quod veluti frequentativum primitivi *deivao.* Ea de re το *deivatuns* pro *sacrificatore* accipi commode posse, arbitror.

DEIVATVO (3). Vim nominis videtur vox haec in Tabula prae se ferre, hocque uno a *deivatunte* distare, quod illud ad officium, alterum ad immolandi actum respicit. *Deivatuo* propterea mihi fit *Sacerdos*, seu *Pontifex.*

DICVST (4). Qua αναλογια το *fust* pro *fuerit* a verbo *fuo* obsoleto, eadem et απο του *dicuo dicust* pro *dicuerit.* Originem si spectes, fortasse a *dica* repetendum, ut *dicuo* idem sonet, ac *iudicio repeto*, vel *taxo.* Nam ecce tibi in hanc sententiam prona, nisi fallor, tabulae nostrae verba: *zicolom. dicust. izic. comononi.* Quae sic redderem: *siclum taxato huic communitati.*

DIDEST (5). Subiunctiv. praeterit. verbi *dideo*, quod est *divido.* Exemplum tabulae sic

---

(1) Lin. 3. (2) Lin. 9. (3) Lin. 4. (4) Lin. 14. (5) Lin. 16.

se habet : *didest. in. pondos.* MOXX. Vetterem *dividito in libras* (forte MCXX).

DOCVD (1). Patrius casus a recto *docos* derivandus , quod *exemplum* , sive *documentum* interpetror απο του δοκειν. Tabulae verba haec sunt: *docud. malud. suae. pis. contrud. ex. elose. facus.* Reddo: *exempli mali suae Civitati adversi ex eo ipso factus* , subintellige *auctor*.

DOLOM. DOLVD (2). Quartus ille , hic secundus casus nominis eiusdem , qui *dolos* , seu *dolus* sine dubio est.

DONOP (3). Dempto paragogigo *d*, emerget vox *dono.* Locum tabulae in medium affero pol oedipo dignum : *hipidne. donoptoutad. petirudert. urustsipus. perum. dolom.* Atqui actum proxime fuerat de multae vitularis commutatione in pecuniariam , siclorum quo nescio determinato numero in communitatem constituto. Quae igitur in hanc sententiam cumulant allata tabulae verba , finem legis spectare videntur ea de causa certam pecuniam statuentis , ne quid ultra per dolum petatur. Quamobrem sic

(1) Lin. 11. (2) Lin. 5. 11. 14. 21. 22. (3) Lin. 15.

forte locus ille reddendus: *nec quid ultra dari petituriat*, sciens per dolum malum. Vide voces *Petirudert*, et *Urustsipus*.

DOS (1). Ita in tabula archetypa, ex qua corrigendum DS, quod in τῳ εκτυπῳ legitur. Ceterum nil inde datum extundere propter Tabulae hiatum.

E.

EGMAZUM(2). Videtur adiectivum accusandi casus, cuius rectus *egmazos*. Graecis ακμαζος *florens* est, sive *validus*. Est et εκμασσω, Sed rectius crediderim, vocem hanc repetendam απο του ιμασσειν quod est *loris caedere*. Quod igitur in tabula occurrit: *prumedi catud. manimasepum. eizazum. egmazum*; sic fortassis reddi queat: iubeto *manibus colligatum verberibus caesum*. Quae si vera του εγμαζου originatio, ac potestas, genuinos inde licebit suspicere fontes vocum *mazze*, *mazzate*, quae vulgo circumferuntur, perennantque adhuc, tot iam saeculis, tamquam in solo nativo.

---

(1) Lin. 4. (2) Lin. 24.

EIS (1). Graecis εις *unus*, idemque *in* sonat. Hoc posterius ad tabulae nostrae rem facere potius videtur.

EITVAM. EITVAS (2). Quartus casus, ille singularis, hic plurativus nominis *eitua*. Quid autem sit, datur prima coniectandi occasio ex Festi loco, quem recitare ne pigeat: *Idulis. Ovis dicebatur, quae omnibus idibus Iovi mactabatur*. Nomine igitur *eituae*, qui a Festo praesidium petat, *ovem* designari facile suadebitur. Sed mihi multo vero propius videtur, quam latini *vitulam* nominant, eam antiquitus *eituam*, seu *veituam* nuncupatam, in eamque prorsus sententiam tabulae Oppidensis *eituam*, et *eituas* accipiendas. De victimarum scilicet taxatione, seu multa agitur, quam bobus, ovibusque olim constitutam, nemo ignorat. Bobus autem pollebat Italia praecipue, unde ei et *Vitaliae* primitus nomen adscitum.

EIZAZVNC (3). *Istum*, seu *ipsummet*. Ab eodem fonte

EIZVC (4). *Isthic*.

---

(1) Lin. 18. (2) Lin. 13. 18. (3) Lin. 24. (4) Lin. 29, 10.

ELOFE (1). Ita in tabula archetypa, non *elope*. Accipio pro *elopse*, *hoc ipso*. Plautus habet *elapse* in eamdem significationem.

ESVF (2). Sublato *f* paragogico, reliquum est *esu*, imperandi modus prisci *esum* pro *sum*, cuius futurum erat *eso*, *esis*, *esit*, ut in veterum monumentis videre adhuc est. Sed sibilus paullatim locum cessit literae caninae, unde factum *ero*, *is*, *it*, eodem illo fato, quo de *minose* factum *minore*.

ESTVD (3). Idem atque *esuf* pro *esto*.

ETANIO (4). Accipio pro *capitali* ἀπὸ τοῦ θανεῖν, donec certiora succurrant. En tabulae locum: *exdic.. pruhipust: molto: etanio*. Verto: *edicto prohibitum esto multa*, seu *poena*, *capitali*.

EZVMNEP (5). In tabula X Eugubina est *umne* pro *omni*. Tabula Oppidensis sic habet: *ezumnep. fefacid*. Fortasse hunc faciunt sensum: *et omnia facito*.

EXDIC (6). Veteres aiebant *exdicatis* pro

(1) Lin. 11. (2) Lin. 21. (3) Lin. 26. (4) Lin. 26. (5) Lin. 10. (6) Lin. 26.

edicatis. Eodemqne modo, quod posterius *edictum*, primitus *exdictum* dicebatur.

EX (1). Notae significationis propositio.

EXAC. et EXEIC (2). *Exhac*, et *exeic*.

F.

FACTVD (3). Ut pro imperandi modo verbi *facto* pro *factito* accipiatur, suadere videtur locus tabulae, qui est huiusmodi: *neituas*, *factud. post. touto*; quem sic reddiderim: *ne vitulis facito deinceps*. Omnino in eam Virgilii sententiam: *Cum faciam vitula*, idest: *cum mactandi vitulam tempus aderit*. Nam tabula, nisi fallor, poenas in Sacerdotes statuit, qui hostiis non legitimis essent usi.

FACVS (4) pro *factus*, participium passiv. praeteriti temporis a verbo *facuo*, vel *faco*. Unde et

FACVST (5) pro *factum* est, vel *fecerit* thematis eiusdem.

---

(1) Lin. 7. 26. (2) Liu. 8. 23. (3) Liu. 9. (4) Lin. 30. (5) Lin. 11.

FAMELO (1). Idem quod *famulo*. Oscis *famel* erat minister cibi, servum puta a culina, vel a mensa. *Famel* idcirco, et *famulus* inde detortus, a *fame* videntur derivandi, cui originationi primae syllabae quoque brevitas adstipulatur. Vide voc. *Amiricatud*.

FEFACID (2). Imperandi modus verbi *fefacio*, quod pro *perficere* videtur stare.

FEFACVST (3). Praeter. subiunct. vel etiam indicat. modi verbi *facuo*, quod reddi posse pro *fecerit*, vel *factum* est, ex Tabula facile innotescit. Reduplicationis autem primae syllabae praeteritorum in verbis a litera consona incipientibus frequentiora apud veteres Latinos obviant exempla, quae paullatim deinde coarctata fuere. Ita apud Ennium, ut de ceteris taceam, pro *sciderit* legere est *sciciderit*. Nunc ut ad tabulam redeamus, illa sic habet: *nihipid. suae. pis. contrud. exeic. fefacust*. Reddiderim: *nihil quid quam suae Civitati adversum fecerit*.

FORTIS. (4). Vocabulum per se notissimum, de quo interim ne pigeat Festum audi-

---

(1) Lin. 22. (2) Lin. 10. (3) Lin. 17. 11. (4) Lin. 12.

re sic narrantem : FORTIS : *frugi*, *et bonus*, *et validus*.

FVID (1). Imperat. verbi obsoleti *fuo* pro *sum*, quo usum Plautum videmus in *Milite glorioso*. Qua nacta occasione, notari meretur, quot olim modis efferri consuerit verbum substantivum *sum*, indeque deducta tempora, modique. Nec dubito, quin aliquid discriminis ad vim ipsam significandi pertinentis inter haec intercesserit, quod eccui nunc nostrum suboleat?

FVST (2) pro *fuerit* ab eodem themate.

G.

Indigena quidem fundi Oppidensis litera : sed in eo tamen, quod de Tabulae naufragio supernatat, ne una quidem vox, cui ea a limine serviat.

---

(1) Lin. 28. (2) Lin. 22. 28.

H.

HAFIEAT. (1). Sic legendum omnino statuit Tabulae ipsius archetypae accuratior αυτοψια. Tertiam singularem personam putarim subiunctivi modi verbi *hafieao*, cuius fundum mihi videre videor in τῳ αφιημι, quod graecis est dimitto. Favet, nisi re, at in speciem certe, locus Tabulae, qui de poenis est in eos statuendis, qui sacra municipalia hostiis non legitimis, vel alio fortasse modo quopiam, foedarint. Est autem talis: *post post. exac. comonono. hafieat. Meddis*: quem sic explico: *deinde ex hac communitate expellat Meddis.*

HEREST(2) pro *hererit*; praeter. subiunct. verbi *hereo*, de quo pene certus sum in *taxandi*, seu *irrogandi* potestatem in Oppidensi tabula usurpari, ducta videlicet origine απο του αιρειν, quod est *tollere*. Eccum tibi tabulae locum, qui non semel recurrit: *ionc. fortis. Meddis. moltaum. herest.* Interpretor: *hunc fortis Meddis multatum taxet.*

---

(1) Lin. 8. (2) Lin. 12.

HIPID (1) Videtur dandi casus singularis pronominis *ipse*. Et

HIPIDNE (2). cum negatione suffixa videtur stare pro *ne ipsi sibi*. Consule vocem *donoptoudat*.

I.

ID. IC. (3). Non licet coniecturam a sequentibus sumere, quae Tabulae desunt. Sed si antecedentia recolantur, quae de annuis lustrationibus esse videntur, suspicandi se praebet occasio, ut primum ID. fortasse idus insinuet, posterius autem IC. siglam ea tempestate vulgatam, mensem ipsum cieat, cuius nunc ignorare nomen cogimur. Sed sine puncto etiam medio visitur in Tabula, unde forte una vox, haud duae.

IN (4). Notae significationis praepositio, quam in tabula videre est cum patrio quoque casu copulatam.

INIM (5). *Im* pro eum veteres dicebant; unde *inim* reddi *in eum* posse, arbitramur.

---

(1) Lin. 8. (2) Lin. 14. (3) Lin. 6., 30. (4) Lin. 15. 21. 23. 26. (5) Lin. 6.

INOM (1). Videtur adverbii vim habere pro eo, quod est *inibi*, nisi forte idem atque *inim*.

IOC (2). C videtur paragogica, et *io* pro *ei*, aut *eo* accipi commode potest.

IONC (3). Stare videtur pro *hunc*.

EZEIC (4). Forte *istic*. Et

IZIC (5) fortasse idem cum *ezeic*.

L.

L. (6). sigla numerica notissima.

LAMATIR. (7). Fortasse adverbium ab *αμαρ ατος* deducendum, quod *diem* significat. *Lamatir* itaque erit *per diem*, sive *unius diei spatio*, si coniecturae fides. Locus tabulae hic est: *izeic* : *vincter. esuf. comenei. lamatir.* Verterem: *istic vinctus esto. Maneto unius diei spatio.*

LICITVD (8). Imperandi modus pro *liceto*. Thema videtur olim fuisse *licituo*, si τῃ αναλογιᾳ fides habenda.

---

(1) Lin. 16. (2) Lin. 5. (3) Lin. 11. 12. 15. (4) Lin. 21. (5) Lin. 29. 14. (6) Lin. 13. (7) Lin. 21. (8) Lin. 13. 18.

LIGIS. (1). Intellige *legeis*, vel *legibus*. Quibus *legem* a ligando dictam persuasum est, τω ετυμω suo hoc tabulae loco praesidium aliquod quaerent.

M.

MAIMAS (2). Vocem hanc a *maimon*, vel απο του μαιμαειν deduxerim, quod *optandi*, *concupiscendive vehementer* potestatem habet. Nec mihi dubium, naturalibus sonum hunc accensendum, et a felibus expressum, cui persuasum est, naturae sonitus primos extitisse artificialium magistros. *Maimas* igitur habeo pro accusandi casu plurativo adiectivi *maimos*, quod κατα το ρηθεν *concupiscibile* dicerem. Locum tabulae iam nunc affero: *deivast. maimas. carneis senateis. tanginom.* Interpretor: *mactato optumas carnes, selectas, hostiam.*

MAIS (3). Fortasse idem, ac magis. Sic in Tabula: *set. nephim. pruhipid. mais. zicolois* X. Verterem: *sed non plus praehibeat siclis* X.

---

(1) Lin. 25. (2) Lin. 3. (3) Lin. 23.

MALLOM (1), et MALVD, itemque MALLVD; noti casus adiectivi *malus*.

MANIMASEPVM (2). Duplici de fonte derivari mihi vox ista posse videtur, nisi quid certius posthac succurrerit. Primum a *Manibus*, et απο του ςηβειν, tamquam si diceretur: *Manibus Diis sacer*, seu *devotus*. Secundo a *manus*, et *sepio*, quasi si dicatur *manibus septus*, seu *manibus colligatis*. Consule voc. *egmazum*.

MEDDIS (3). Cum duplicato quippe D perpetuo occurrit vox ea in Tabula nostra, quae tamen per D simplex effertur in lamina Veliternina. Qui plura de voce hac desiderat, Vossium adeat in Etymologic. cum subiecta Mazochii adnotatione. Magistratum quemdam, seu Iudicem supremum ea voce designari, inter eruditos convenit. Qui graecorum partibus student, hi facile vocem hanc απο του μεσου repetant; quod *iudex medius* veluti sedet legem inter, legique obnoxios. An inde *Medici* quoque nomen? Medicorum certe, prae iudicibus, et munus, et institutio longe tempore inferiora.

---

(1) Lin. 5. 14. 15. 18. 19. 22. (2) Lin. 24. (3) Lin. 8. 26.

MED. DIXVD (1). Sed puto unam, continentemque vocem esse *meddixud*, imperativum nempe verbi *meddixuo*, quod, ni fallor, est *iudico*.

MEDICAT (2). Fortasse 3. persona singularis indicat. verbi *medico* a *medis* diducti. Videtur autem *actum* ipsum *iudicandi* insinuare. Haec in Tabula: *pam. medicat. inom. didist.* Forte: *quam iudicat, inibi dividito.*

MEDICIM (3). In vocis huius potestatem propius inquirere non sinit tabulae hiatus. Fortasse adverbii vim obtinet, ut sit *iudicialiter*; nam et *amnudinim* adverbiis adnumerari posse, supra monuimus Tabulae frustulum eiusmodi est: *facus. estud. id. ic. medicim. eizuc* fortasse: *factus erit idibus* IC. *iudicialiter.*

MISTR. (4). Redde literae T suam auxiliarem E, emerget *mister*. Si rem spectes, videtur nomen magistratus, cui alterae, nempe exequendi partes ab eo, qui Meddis dicitur, attributae. Tabulae verba adpono: *herest. Meddis. moltaum. licitud. ampert. Mistr.* Reddi-

---

(1) Lin. 21. (2) Lin. 16. (3) Lin. 30.33. (4) Lin. 12.

derim : *taxet meddis multatum licet. Exigat magister.* Sic placet potius το *mister* reddere, quam *minister*, exemplo tum eorum, qui *pagani magistri* dicebantur, tum multo magis *Equitum Magistri*, cui proximae Dictatori partes relinquebantur. Anglis hodiedum *mistr* Dominus; *mistreis* Domina est.

MOLTAM (1). Intellige *multam. Et* MOLTAVM (2) *multatum.*

N.

N. (3). *Numi* sigla videtur. N. Θ forte *numis* mille.

NEI (4). Sic antiquitus pro *ne.*

NEIP. (5). Eliso paragogico B, superest *nei*, de quo iam retulimus. Sed fortasse stat etiam pro *nisi.*

NEP. (6) Idem.

NE. PHIM (7). Fortasse : *ne umquam.* Quod si το phim pro τῳ σφιν accipere placeat, idem erit, ac *ne sibi.*

---

(1) Lin. 2. 27. (2) Lin. 12. 18. 27. 28. (3) Lin. 12. 26. (4) Lin. 29. (5) Lin. 15. (6) Lin. 28. (7) Lin. 25.

NERVM. (1). Neriam Martis uxorem discimus a Plauto, Gellioque, ipsumque proinde Martem *Nerium* vocatum vult Servius Claudius. Est autem Sabinis *nerio* virtutis, ac fortitudinis vocabulum. *Nerulum* quoque Oppidum memorat Livius. Tabulae nostrae lacuna nullam coniiciendi ansam praebet, a quorum alterutro, aut aliunde etiam, sit ea vox repetenda.

NESIMOM (2), et NESIMOIS. Bis ea vox occurrit in Tabula addita διακριτικῶς vocibus *zicolom*, et *zicolois*, has inter, et διοριστικον, notis numeralibus interiectis XXX. et XX. Si igitur το *zicolom* siclus est, *nesimum signatum* interpretor απο των σημειου, quod est *signum*. Ita olim *aes rude* a *signato* distinguebatur.

NIHIPID (3). Fortasse: *nihil quidquam*.

O.

OINVD (4). Sic prae se fert aerea Tabula archetypa, minime *noinud*, ut in ectypo. Graece *vinum* est.

(1) Lin. 29. (2) Lin. 17. 25. (3) Lin. 17. (4) Lin. 6.

OPIZOIS. (1). Videtur dandi, auferendique casus plurativus ad instar tertiae graecorum terminatus. Vir clarissimus, idemque amicissimus Carellius putat, ea voce *Oppidum* ipsum designari. Verum cum de Bansa, non de Oppido, videatur iniecta mentio, fortasse γενικως ea vox accipienda, ut stet pro *oppidanis*, idest *civibus*, non pro ιδιως. *Oppidensibus* Fortasse haud incommode arcessas απο του οπιζεσθαι, quod significat *curare*; quo in casu το *opizos* erit *Curator*.

P.

PAEANCESTO (2). Vox fortasse coalita α παις *puer*, et verbo *censeo*, quasi diceretur *pueris* (intellige templorum) *accensus*, qui et *Camilli* nuncupati. Tabulae locus hic est: *in. amiricatud. allo. famelo. in. ei. sivom. paeieizeis. fust. paeancesto. fust.* Cum quatuor illa priora *de famulo multaticio* alibi interpretati simus, quae sequuntur, hunc fortasse faciunt sensum: *ibi Deo sempiternus*) hoc est κατα

(1) Lin. 23. (2) Lin. 22.

τον βιον divino addictus ministerio) *esto* , *templi pueris accensus*.

PAEIEZEIS (1). Adiectivum crediderim casus recti , et valere tantumdem ac graecorum *αειζωος* , *sempiternus*.

PAM (2). Videtur accusandi casus generis feminini , numerique singularis , cuius rectus *pos*, *pa* , *pod* , qui , quae , quod.

PANPIEIS (3). Apud Lanzium Tab. VII. vox *panupei* , Hesychii auctoritate , redditur *ubivis*. Vocem idcirco *panpieis* acceperim pro *universis*.

PARASCVSTER (4). Quasi *παρα Custos*. Nomen crediderim sive *Magistratus* , sive potius Magistratuum ministri cuiuspiam.

PEREMVST (5). Thema videtur *peremo* , cui non una attribuitur significatio. Interdum est *prohibere* , interdum *vitiare* , item et *tollere*. Vide Festum ad hanc vocem , et ad voc. *postularia*.

PERTEMVST (6). Thema videtur *pertemo* , vel *pertemuo*. A graeco *θεμοω* arcesserem ,

---

(1) Lin. 22. (2) Lin. 16. (3) Lin. 6. (4) Lin. 4. (5) Lin. 15. (6) Lin. 4.

quod est *accedere compello*. Comma itaque illud Tabulae: *parascuster suae. pis. pertemust.* sic opinor reddi posse: *Accensus suae Civitatis ad comparendum compellito.*

PERTVMVM (1). Videtur adverbii personam gerere, quasi παρα θυμου *ex animo*, *de industria*. Tabulae idcirco particula illa: *maimas. carneis. pertumum. piei.* fortasse hunc habet sensum: *carnes selectàs sincero animo facit.*

PERVM (2) pro *per*.

PETIRVDERT (3). Videtur stare pro *petit.* Apud Festum invenitur et *petissero*, et *petiturio* usurpatum a Cicerone occurrit,

PHIM (4). Vid. *ne. phim.*

PIEI (5). Videtur απο του ποιειν, quod est *facere.*

PIS(6). *Civitatem*, vel *Populum* videtur designare. Soni adfinitatem inobservatam lectori nolim vocum *Pis*, *Urbs*, *Tribus*. Quod si ea vox *Urbem*, sive *Populum* designet, an non et απο του πις dictam *Tribum* fuisse iure statue-

---

(1) Lin. 7. (2) Lin. 5. 21 (3) Lin. 14, (4) Lin. 7. (5) Lin. 4. 8. 11. 13. 17. 20. 23. 26. 28. (6) Lin. 8.

mus, ut *Tribunos* abs *Tribubus* nuncupatos certissime novimus?

POCAPIT (1). Videtur 3. singul. verbi *pocapio*, quod fortasse est *capio*, *accipio*, vel *prehendo*.

POD. (2). Notum Oscorum *pitpit* pro *quidquid*. Vide vocem *Pam*.

POIZAD (3). Videtur imperandi modus verbi *poizao*. Nam sic in tabula: *in. eituam. poizad: licu*. Verum quid sibi verbum huiusmodi velit, solide me ignorare profiteor. Nisi forte sit *possideo* a graeco πάομαι.

POMTIS (4). Hic etiam haeret mihi aqua. Si forte medium M mere epenthicum, *pomtis* in idem redit, ac *potis*. In tabula sic legas: *neip. mais. pomtis. com. preivatud. actud.* Fortasse: *nec maior potestas cum privato actu*.

PON (5). Fortasse *Pontifex*.

PONDOS (6) Notae vox significationis.

POST. POST (7). Quae vis tribuenda vocis ejusdem duplicationi, nemo ignorat. Sollem-

---

(1) Lin. 8. (2) Lin. 10. (3) Lin. 19. (4) Lin. 19. (5) Lin. 19. (6) Lin. 16. (7) Lin. 8.

nis ille mos Latinis, Italisque in primis. Redderem igitur *protinus*.

PR (1). Incertum, numeri ordinalis *primi* vices obtineat, an potius praepositionis *pro*. Utrumque videtur admittere tabulae sententia: *Pr. Censtur. Bansae.* Forte: *primus Censor*, vel *Pro-Censore Bansae*.

PRAEFVCVS (2). Magistratus nomen esse videtur, et *Praefectus* reddi commode posse. Fortassis et plures etiam nominis eiusdem vice aliqua publica fungebantur, nam in Tabula haec habentur: PR. *suae. praefucus. pod. post. exac. bansae. fust. suae. pis. opizeis*; quae hunc facere sensum fere queant: *primus suae* (forte regionis) *praefectus*, *qui deinde hac lege Bansae fuerit*, *suae civitatis curatoribus*.

PRAESENTID (3). D paragogicum habendum. Est igitur *praesenti*.

PRVHIPID (4). Oscis *pruphpher*, et *pruffer* sonat idem, ac *profert*. Vide soni affinitatem harum omnium vocum cum eo, quod nos dicimus *profferire*. Imperativum igitur arbitror verbi *pruhipiò*, quasi *praehibeo*, sive *profero*.

---

(1) Lin. 28. (2) Lin. 29. (3) Lin. 21. (4) Lin. 25.

PRVHIPVST (4). Thema videtur esse *pruhipuo* idem, atque *prohibeo*. En tabulae comma: *exdic. pruhipust*; quod reddiderim : *edicto prohibitum esto.*

PRVMEDDIXVD (5). Videtur imper. verbi *prumeddixuo*, quo forte innuitur *iudicium primi Meddis.* Notum illud Ennii : *Summus ubi capitur Medix, occiditur alter.*

PRVMEDICATVD (7). Verbum puto απο του *Meddis* deductum, ut sit *prumedicatuo*, eoque *sollemne iudicium* primi Meddis comprehendi. Ad *modum* quod attinet, imperativum censeo. Locus tabulae hic est : *acum. haerest. auti. prumedicatud. manimasepum. eizazunc. egmazum.* Forte : *ac eum multato actutum Primus Meddix. Addicito hunc colligatis manibus, verberibus caesum.* To *auti* hoc loco videtur pro graeco αυτικα stare, ideoque *actutum*, seu *statim* reddidi.

(1) Lin. 13. (2) Lin. 29. (3) 16.

Q.

Semel in Tabula (1) litera haec initialis visitur, punctoque ad dextram consignata, ut siglam facile agnoscas.

R.

Nullum huiusmodi initiale elementum ciet Oppidense fragmentum, quod superest.

S.

SANSAE (2). Hodie *Sanza*. Lucanorum oppidum.

SCRIFTAS (3). Intellige *scriptas*, et fortassis, quod nunc F comparet, detriti P vestigium extat. Vid. voc. *Ligis*.

SENATEIS (4). Si *απο του σημειου* vox repetenda, *carnes senateis* habeo pro *carnibus selectis*, quales afferri in sacris faciundis aequum erat. Forte reddi etiam posset pro *sanis*. Verum cum Mazochius *το senam* ab Hebraeo-

---

(1) Lin. 2. (2) Lin. 19. (3) Lin. 25. (4) Lin. 3.

rum *Som* accersat, communi nempe *ovium*, *caprearumque* nomine, haud improbabile, *caprinas*, *ovillasque* carnes ea voce designari.

SIOM (1). Fortasse *Deum*: nam σιος dorice *Deus* est. Sed fortasse melius *suem* a συς, quem Hebraeis immolari nefas.

SIVOM (2). Id potius *Deum* interpretarer.

SIPVS (3). Sic legendum, quod *sibus* in Festo dicitur sub *callidi*, *periti*, *scientis* significatione. Estque a *sapio* sine dubio, sive ab exoleto *sipio*, unde *adsipio*, *praesipio*, *insipio*.

STOM (3). Possit reddi *istum*. Sed ad rem Oppidensem auspicatius pro *statum*, nempe *sacrum*.

SVAE. Pronomen notissimum.

T.

TADAID (4). Subiunct. reor verbi *tadaio*, *adeo*. Hinc *valaemom. touticom. tadait* reddiderim: *Potestatem* (i. e. magistratum) *magnum adeat*. Memini dictum a Juvenale Potestatem, qui magistratus sine dubio Gabiis erat,

(1) Lin. 5. (2) Lin. 22 (3) Lin. 5. 16 (4) Lin. 9. (5) Lin. 10.

perennatque adhuc nonnullis in locis ea vox sub eadem significatione.

TANGINOM (1). Casus quartus, cuius rectus *tanginos* est. Duco ατο του αγχειν, *strangulare* scilicet, qualis hostiarum sors est, haud υλικως, sed large pro *caedendo* notione accepta; scio enim, hostiarum sanguinem effundi oportuisse, quod *strangulatis* minime contingit. *Tanginos* igitur mihi *hostia*, seu *victima* fit.

TAVTAM (2). Videtur idem, ac την αυτην.

TOVDAD (3). Pro τουτα, *haec*.

TOVTICOM (4). Huic voci nihil opus, ut quidquam admetiamur.

TREIS (5). Ita reddendum videtur, quod in tabula superest in hanc speciem: TPEIS. Verto igitur pro numero *ternario*.

TRVTVM (6). In Tabula est: *in trutum*. Nihil hactenus succurrit in vocem hanc coniicere.

V.

VALAEMOM (7). A verbo *valeo*, *possum*, repeto, nomenque magistratus ex addito *touti-*

---

(1) Lin. 3. 9. (2) Lin. 19. (3) Lin. 21. (4) Lin. 10. 40. (5) Lin. 28. (6) Lin. 15. (7) Lin. 10.

com iudico. Fidenatibus, Gabiisque suus erat *Potestas* Iuvenalis aetate. Vid. Sat. x.

VCEN(1). Locum tabulae profero: *eis. ucen. ziculud.* Si quidem *ziculud* est *sicli* nomen, numerale *το ucen* crediderim. Verum, eccuius valoris, inquies? Anne *viginti?* ut sit *in unius*, *et viginti sicli?* an *in siclos viginti?* quis horum alterutrum in se recipiat? Neutrum profecto improbabile, videturque *eis ucen* quamdam soni affinitatem praebere cum graecorum εις, και εικοσι.

VD. (2). Non satis mihi certum, utrum pro *haud*, vel *aut* accipiendum. Ceterum incerta vox est, et facile ignoti vocabuli pars residua, cuius antecedentia desiderantur elementa.

VINCTER. Fortasse *vinctus*, seu *captivus*.

VMBRATEIS (3). Forte απο του ομβρου, quod est *imber*. Consule Festum ad voc. *umbra*. Interim reddiderim: *aqua pluvia lustratis* An non huc facere videntur Plautini Iovis verba illa:

Iube vero VASA PVRA *adornari mihi,*
Ut quae apud Legionem vota vovi, si domum
Redissem salvus, ea ego exsolvam omnia?

---

(1) Lin. 16. (2) Lin. 30. (3) Lin 21. (4) Lin. 6.

Amphitr. Act. III. Sc. II.

Et illud. eiusdem in Suppos.

Tu purgari iusseras
Vasa, ut rem divinam faceres.

VRVST (1). Videtur praeter. subiunct. verbi *uruo*. Sed quaenam vocis potestas? ignorare me profiteor, quamquam *taxandi*, sive *solvendi* vim prae se ferre videatur. Sed fortasse *απο του ορασιν*, quod est *videre*. Quamobrem *urust sipus* forte reddendum: *viderit*, *vel caverit sciens per dolum malum*, ut in linea 14. legitur. Nec tamen hic tacitum volo *το uruo* Ennio usurpatum in sensum *sinuandi se*:

Circum sese uruat ad pedes a terra quadrigentos caput (2).

VZET (3). Fortasse *ipsemet*. Sed vid. voc. *Anget*.

ZICO (4). Non liquet.

ZICOLOM. ZICOLOIS. ZICVLVD (5). *Siclum*, *siclis*, *sicli*. Rectus est *zicolos*, *vel ziculus*.

---

(1) Lin. 14. et 16.

(2) Ex Andromed. pag. 267.

(3) Lin. 21. (4) Lin. 15. (5) Lin. 17. 21. 14. 25

IN TABULAE UNIVERSAE ARGUMENTUM

DIVINATIO.

In Tabulae nostrae Oppidensis voculis singulis et expendendis, et loco quaque suo alphabetico, ut aiunt, ordine, disponendis, quoad per vires licuit, plusquam satis et sudavimus, et alsimus, et ungues ad vivum usque saepiuscule corrosimus. Sed cum eo iam ventum sit, ut quae tanto sunt labore conquisita, ad illius summam eliquandam sint demum conferenda, illud in nos contigisse sentimus, quod in divinis legitur scripturis: *seminastis multum*, *et intulistis parum.* Quamquam enim haud pauca ita sint solide constituta, ut consensum vel a morosissimis extorquere queant; multa nihilo minus sunt τα ανερμηνευτα hactenus, planeque inexplorata; longe plura etiam obscurissima, et incerta, quae facilè quivis ad instar cerei nasi in aliam a nostra detorserit sententiam. Neque vero cedere aliter res poterat in scriptura, cui praeter exoletam dialecti antiquitatem, vo-

cumque monstra inaudita, illud quoque accedit incommodi, quod non tantum dimidio fere decurtata ad nos pervenit, sed ne lineam quidem unam perpetuam, integramque lectori suo exhibet. Atque utinam hic quoque malorum finis! Videas in tabula, tamquam a continente tellure divulsas insulas, sic per longos hiatus disiectas, ac veluti natantes particulas quasdam, e quibus frustra sit quisquis elici aliquid, aut extundi posse sibi suadeat, quod reliquae tabulae sententiae, eidemque incertissimae hactenus, congruat. Videas et temporis iniuria, quae coniunctim legenda sunt, aut spatiorum laxatione dissiluisse, aut punctorum specie mendaci distermінata; et ex adverso in unum compacta, ac ferruminata, quae toto caelo, ut ita dicam, distare, distinguique inter se oportuerat. Sed ne longum faciam: quam male a seclis abhinc fere MM. tabulae nostrae fuerit; quantae exhinc inductae in eam luxationes, hiatusque, quanta uno verbo non vocum dumtaxat, literarumque, sed linearum ad unam omnium clades a summo deorsum, supra, infra, dextra, sinistra: ipsa per se tabula lectorem multo melius docebit suis utentem oculis, quam ipsi exequi oratione, complectique posse confidimus.

Atqui non idcirco suscepti nos poenitet laboris. Etsi enim falsos in pluribus sint nos certissime viri eruditi deprehensuri ; hoc tamen ipsum iam nunc animo nostro praecipitur solatium, quod eorum civimus salivam, quo solidius aliquid tanto in negotio moliantur, et vero συν θεῷ perficiant tandem. Futurum praeterea olim confidimus (optamus certe vehementissime), ut generis eiusdem integrum κειμήλιον aliquod sartum, ut aiunt, tectumque de sinu suo Lucania tellus proferat, quo nostris hisce lucubratiunculis queiscumque lux quaepiam affulgeat, cuique vicissim haec nostra sint quo quo modo inlatura. Nunc quid de tabulae totius argumento sentiamus, propositum est paucis, et sine ambage exponere, quam brevissime fieri poterit.

Sacrificalis ea nobis tota videtur, inque partes duas dispescenda. Prima hostiarum conditiones exequitur, quas afferri *sacris municipalibus* oportebat. Has et *maimas*; et *senateis* esse par erat, idest, si recte video, et *opimas*, et *selectas*, nisi lubeat το *senateis* pro *sanis* potius interpretari, hoc est nulla invaletudine laborantibus. Atqui legum eiusmodi primum exemplar in Abelis sacrificiis facile quisque per se ag-

noverit; quod Hebraeorum deinde natio religiose studuit observare, ut in Levitico potissimum datum observare, et ad illorum exemplum aemulata ethnicorum superstitio est.

Quod si Sacerdotum, aliorumve imprudentia, sive dolo malo temerata sacra huiusmodi fuissent hostiarum mactatione, quae haud legitimae censerentur; tum et *expiationes*, sive *lustrationes* imperatae ad Deorum iram deprecandam; et poenae praeterea statutae in eos, quorum haec vitio contigissent. Videas hinc sacerdotibus interdictum, ut sacris post facinus admissum operarentur; alios cieri, ac prehendi iussos; alios fortasse multaticiae pecuniae obnoxios factos; et si dolo malo scientes deliquisse constaret, per magistratum summum, cui Meddix nomen, a *communitate deiectos*, in exilium nempe pulsos. Ni fallor, de manuum quoque colligatione, deque fustuaria poena videtur mentio iniecta. Haec prima Tabulae pars, quam de *sacris municipalibus annuis* esse, veri simile admodum est.

Sequitur tabulae eiusdem pars altera, qua variis Lucanorum Oppidis annuarum hostiarum tum modus, tum numerus, fortassis etiam ip-

sarum aestimatio, compendii gratia, taxatur. Oppidorum nomina, de quibus nulla in Tabula dubitatio, *Sansa*, et *Bansa* sunt. De *Nero* nil certum audeo dicere. Extat et vox *Castro*, quo fortasse nomine designatum, quod postea *Oppidum* dictum novimus. Si quorum oppidanorum culpa, quae ad sacra municipalia opus erant, hacque lege sancita, tempore suo, aut non ex praescripto legis in totum, sive ex parte, haud fuissent contributa, hi vetabantur quoque inire Magistratus; quod si video, patet ex formulis illis: *nep. Censtur. fuid*-neque Censor esto: *Nei. suae. pf. fust*: neque suae Civitati praefectus esto; aliaque, manca licet, imminutaque, huic sententiae accedentia, quae non vacat hic congerere.

Notari etiam merentur magistratuum nomina varia, quae passim in Tabula prodeunt. Hi suis quisque Oppidis, aut ipsorum parti alicui, praeerant, aut universis quoque, quorum in numero habeo in primis, qui *Meddis touticos* dicebatur, cuique suus additus Magister videtur sub *Mistr* nuncupatione. Proximus his videtur et *Valaemos touticos*, qui forte uni Oppido, seu Civitati praeerat; nam *Censori*, qui *Censtur* in Tabula est, in civitates universas foe

deratas ius fuisse arbitror, uti et ei, qui *Meddis touticos* audiebat. *Praefucus* aut minoribus Oppidis, aut parti tantum Oppidi, seu Civitatis frequentioris fortasse addicebatur. De eo, qui *Parascuster* tabulae dicitur, vide quae ad hanc vocem in Lexico sunt adnotata.

Atqui nunc demum datur intelligi, eccur Oppidensis nostrae tabulae pars altera Latino, Lucanorum altera sit idiomate exarata. Romanum quippe prior illa *de re Vestiaria* praeferebat Plebiscitum, adeoque romanis ipsissimis verbis fideliter referendum. At pars altera Tabulae de *Sacris municipalibus* agit, quae vernacula, idest propria Lucanorum dialecto, consignari necesse fuerat; non ea tantum de caussa, ut omnium forent captui adcomoda, sed arcana multo magis religionis sanctitate, ne *municipalia sacra* violarentur, quae patrio non essent sermone imperata.

Sed ecce vix dum manum e tabula, ut aiunt, insperatoque observandum se praebet, quod ad pag. 92. v. 6. *imperium* restituimus, id nunc ex accuratiore tabulae archetypae τῃ αὐτοψιᾳ *scriptum* reddi oportere. Sic enim illa se habet: ιIPNM, nimirum literis T, et V nexu

consueto comprehensis, qualem ad voces PARTVS, et SENATV cernere est. Nec sane cadere res opportunius poterat. Eo namque loci imperatum iudicibus est de vestiaria controversia sententiam dicturis, ut ante *scripto* nomen profiteantur, quae *nomina* accipere, et ut tabulis consignarentur, facere, Quaestoris urbani erat. Quamobrem ille oppidensis hiatus sic omnino implendus: *Qui ex hac lege iudicaverit, is facito apud Q. Urbanum*, quo nomen scrIPTVM *siet*; *Quaestorque ea nomina accipito.* Verum eccuius nomen istud, inquies, quod profiteri ante apud Quaestorem oportuerat? iudicandorumne, an iudicummet ipsorum? cui prius illud animo insederit, illo se Plauti (1). inter cetera tueatur, licet:

. . . *Iam ex hoc loco*
Ibo ego ad Tresviros, *vestraque* (*h. e.* quos reos agere constitui) *ibi* NOMINA
Faxo erunt.

Sed tabulae contextum penitius introspicienti multo probabilius fiet, de ipsomet Iudicum *nomine* profitendo, qui iusiurandum iam iura-

(1) In Asinar. Act. 1. Sc. 111.

rint, esse cogitandum. De nihilo igitur esse argumentationem illam ultro fatemur, quam ad asserendam Quaestori urbano magistratus dignitatem contra Aulam deduximus a supposita *imperii* voce; dum ne rationibus ceteris id ipsum solide efficientibus fraudem inde ullam fieri contingat.

Quod ad pag. 159. *Pampieis* pro *universis* sumus interpretati, monemus, forte reddi etiam posse: *omnino sacris*, i. e. *vasis*. Nam *pieis* pro *piis* oim dicebatur. Idemque dicerem de voce *piei* pag. 160, stare nempe eam posse pro *pii*, si quem inde commodum extundi sensum daretur.

Demum, quam sub *Clavis Frontinianae* nomine ad pag. 36. innuimus, ea opella, deo dante, mox in lucem italice prodibit sic incripta: *Illustrazione dell' antica Campagna Taurasina, e di alcune nozioni agrarie.* Atque heic nunc palum figo (utinam non in parietem!) dicendique finem facio. Longe siquidem aequius, plura desiderari a lectore, quibus impares nos ingenue fatemur, quam longiorem a nobismet lectoris patientiam desiderari. Qui tamen, si sapit, ignoscat licet, quibus in

itinere non modo senticoso, sed invio plane, insolentique parum processisse datum. Quandoquidem, ut Plautinus ille Sosias aiebat:

non potuimus
Nostros grandius grandire gradus (1).

FINIS.

---

(1) In Suppos.

INDEX.

Ad pag. 17. v. 16. post vocem *Senatue*, adde = *Marte* pro *Marti*, e nimirum cum *i* passim alternante, bis legere est in lamella cuprea antiquissima ap. Fabret. p. 27. cuius in parte antîca haec habentur:

C. Placentios. Her. F. Marte. sacrom.

Et in parte postîca p. 28.

C. Placentios. Her. F. Marte. donu. dedet.

Ad pag. 48. v. 16. post verbum *Iliponenses* adde = Quibus consonant ea Livii L. XXXVII. Cap. 26. *Consul* (L. Scipio) *inde Ilium processit: et Iliensibus in omni rerum, verborumque honore ab se oriundos romanos praeferentibus, et romanis laetis originis suae.*

Ad pag. 55. v. 15. post vocem *adservarique* adde = Quo facere videntur illa Patavini de Romanis, devicto Antiocho. Lib. XXXVIII. Cap. 25. *Iliensibus Rhaeteum, et Gergitheum, non tam ob recentia ulla merita, quam* ORIGINVM. MEMORIA.

Ad pag. 64. v. 19. *de* lege: *d.*

Ad pag. 104. pro Antiocho lege: Perse.

Ad pag. 117. pro Nullibi lege: nusquam.

Ad. pag. 108. v. 11. post vocem *Castoris* adde = *Castoris templum, itemque Penatium* cum Foro romano in VIII. Reg. Victor constituit.

Ad pag. 137 v. 12. post verbum *fuerit* adde = De Bantia non omittendus Livii locus Lib. XXVII. Cap. 25. *In Apuliam ex Bruttiis reditum, et inter Venusiam, Bantiamque minus trium millium passuum intervallo, Consules binis castris consederant.*

Ad pag. 156. v. 7. post verbum *est* adde = notandumque, Persarum quoque lingua, Ducem, Praefectumve dici *Mir*, ut testatur Maffeius *Hist. Indic.* Lib. IV.

A S. E.

Il Segretario di Stato Ministro Cancelliere.

Eccellenza

Il Direttore delle stamperia della società filomatica, volendo dare alle stampe l'opera, intitolata: *In veterum monumenta nonnulla commentaria Raymundi Guarini*; prega la bontà di V. E. compiacersi commetterne la revisione.

Per disposizione dell'Eccellentissimo Ministro cancelliere Presidente, se ne commette l'esame al Signor Marchese di Castellentini Reggente della seconda Camera.

Il Segretario generale del supremo Consiglio di Cancelleria.

Morelli.

Commesso al regio Revisore D. Domenico Sonni.

Castellentini.

A S. E.

Il Segretario di Stato Ministro Cancelliere

Eccellenza

Ricevo da V. E. l'incarico di esaminare l'opera intitolata: *In veterum monumenta nonnulla Commentaria Raymundi Guarini*; ed in riscontro ho l'onore di dirle, che la suddetta opera letta nell'Accademia Pontaniana, a cui qual socio ordinario ho il favore di appartenere,

fu ella unanimamente applaudita. Assumendo dunque un tal giudizio come sicura garantia del merito dell' opera, io non fo che renderlo manifesto a V. E. perchè possa determinarsi a permetterne la stampa; anchè perchè, dietro la lettura fattane, io la trovo essere al coverto di qualunque censura sotto tutti i rapporti.

Napoli 19 Giugno 1820.

Il Regio revisore Domenico Sonni.

Napoli 1 luglio 1820.

La seconda camera del supremo Consiglio di Cancelleria.

Veduta la domanda del Direttore della stamperia della società filomatica per dare alle stampe l' opera intitolata: *In veterum monumenta nonnulla commentaria Raymundi Guarini.*

Veduto il parere del Regio revisore D. Domenico Sonni; permette che l' indicata opera si stampi; ma ordina che non si pubblichi, se prima lo stesso regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' originale approvato.

Il Reggente della seconda camera = Marchese di Castellentini = Il duca di Campochiaro = Il seg. gen. Morelli = L' eccel. Ministro Cancelliere Presidente e gli altri sig. Consiglieri nel tempo della soscrizione impediti.

